



12. 12.

W

12

T. 9. 359.





INTERPELLATIONIS  
NECESSARIÆ;

Ad

*Meditationes*

JACOBI TRIGLANDII,  
DOCTORIS ET PROFESSORIS  
THEOL. LEYDENSIS.

In

*Opiniones variorum*

DE

VOLUNTATE DEI,  
GRATIA UNIVERSALI ET  
SCIENTIA MEDIA  
DISSESTATIO TERTIA.

Quam

*Divina adspirante gratia*

SUB PRÆSIDIO

JOH. GEORGII DORSCHER,  
SS. THEOL. D. ET P. P.

*In illustri Argentoratensium Vniversitate  
solenniter pro posse defensum ibit*

Menf. d.

HARTMANNUS MANTZ,  
WORMATIENSIS.


\* \*  
\*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,  
Academiae Typographi, 1646.

H









DE VOLVNTATE DEI,  
GRAT. ET SC. MED.

SECTIONIS PRIMÆ

CAPUT III.

*De objecto voluntatis Divinae, an sit  
malum culpa, quæ tale?*



Antequam ad cæteras distinctiones voluntatis §. 1.  
divinæ in voluntatem signi & beneplaciti, absolu-  
tam & conditionatam, antecedentem & consequen-  
tem &c. progrediaris, Triglandi, ad objectum  
voluntatis ejusdem delaberis. Sequemur mo-  
tum tuum, & quid nobis videatur ad sempiter-  
næ veritatis leges de istis tuis meditationibus judicandum, cum  
Deo exponemus. *Est omnino, ut ais, questio, An malum qua ma-  
lum possit esse objectum voluntatis divinæ? accuratè tractanda &  
enucleanda, ut ritè asseratur gloria divinæ bonitatis, justitiæ & san-  
ctitatis: ut aptè concilientur ea, quæ in S. literis circa hanc materiam pu-  
gnare inter se videntur, denique ut retundantur & profligentur omnes  
adversariorum calumnia. Est bonum factum, si dextrè explicetur,  
I. quid sit, esse objectum divinæ voluntatis? II. quæ vo-  
luntas Dei hoc loco intelligenda? III. quod malum hoc loco  
consideretur?*

*Trigland.  
in Medit.  
p. 17. 18. 19.*

Ad I. ais: *Voluntatis actionem in Deo, non esse duntaxat po- §. 2.  
sitionem, siue actum positivum, qua aliquid vult, appetit, eligit: sed &  
negativum, qua aliquid non vult, averfatur, repudiat, quam nolitio-  
nem vocant. Ratione prioris aliquid propriè dici objectum, utpote circa*

P

quod



quod voluntas versatur actione sua positiva, volendo, appetendo. Cum enim voluntas sit appetitus rationalis, id certè ejus objectum propriè dicendum, circa quod ita versatur, ut ei volendo, appetendo, rationaliter quasi inhereat. Quamvis enim quod repudiat, ei ab intellectu monstretur, offeratur, objiciatur, tamen circa illud non versatur nisi repudiando, removendo, ita ut illud non habeat pro objecto suo circa quod occupetur, sed potius pro rejectaneo, circa quod occupari nolit. Esse itaq; objectum voluntatis divinæ dicendum, quod ipsa voluntas vult, sive circa quod versatur actione positiva affirmativa. Si quis tamen illud, quod à voluntate rejicitur, sive circa quod voluntas nolendo versatur, velit dici isto sensu objectum voluntatis, non refragandum. Non putamus, hoc loco nondum in scirpo quærendum. Objectum voluntatis est, quod sub rationem velitionis cadere potest, sive jam volitione eligatur, sive postea prætereatur & repudietur. Aliud est loqui de objecto congruo, hoc est, de objecto ex natura voluntatis, ipsius statui & obligationi volentis congruo atque consentienti: aliud de objecto simpliciter. Hoc modo tam objicitur & sub rationem velitatis, ut sic loquar, cadit id, quod rejicitur, quam quod voluntas amplectitur. Sic in libertate contradictionis tam sese offert voluntati τὸ non agere, quam agere. In libertate contrarietatis & specificativa tam vnum contrariorum, quam alteram sese offert. Sic voluntati divinæ tam objiciebatur possibilitas condendi mundum, antequam conditus est, quam possibilitas condendi mundum eo momento & tractu, quo conditus est; licet circa illam eadem versata sit actione negativa, nolente, aversante repudiante, quam nolitionem vocant; circa hanc actione positiva volente, appetente, eligente, quam volitionem vocant. Rursum voluntati divinæ tam objiciebatur possibilitas creandi plures mundos, quam possibilitas creandi vnum & in uno amplissimè demonstrandi divitias opulentia, sapientia, justitia, gratia: licet circa illam nolitione, circa hanc volitione versata fuerit. Insuper hodie tam voluntati divinæ objicitur, possibilitas creandi de novo aliqua sive intra huius mundi complexum, sive extra harum specierum ambitum, quam possibilitas non creandi, licet eam eligat, quæ nolitio est, illam repudiet, quæ volitione consummaretur. Sed & Esavus odio aversabilis, & Jacobus



cobus amabilis, voluntati divinæ pariter objiciebantur; imo circa utrumque ut averſabilem & amabilem voluntas divina ab æterno verſabatur, & odium illum tetigit, de quo infra, amor hunc proſecutus eſt. Sic igitur ex eo, quod aliquid nolit voluntas, & in primis voluntas Dei, non conficitur, illud abſolutè & propriè loquendo objectum non fuiſſe.

Ad II. diſtinguis *inter voluntatem decernentem ſeu efficientem, & permittentem, qua vel efficere quidpiam, vel permittere decernit Deus, quæ & arcana voluntas eſt; & inter voluntatem exigentem & præcipientem, ſub quo comprehenditur approbans, cui reſpondet prohibens & improbans; pro varia huius diſtinctæ voluntatis conſideratione ad propoſitam quæſtionem diſtinctè reſpondendum eſſe pronuncias. Bene quidem: ſed diſtinctio inter voluntatem decernentem & præcipientem ſuperiori capite excuſſa eſt. Voluntas permittens inferius conſiderabitur.* §. 3.

Ad III. ais, *malum duplex eſſe, aliud pugnare cum bono ethico, aliud cum bono phyſico: illud eſſe vitium virtuti oppoſitum: hoc miſeriam beatitudini naturali oppoſitam: illud culpa, hoc pœna malum vocari. De utroque quæſtionem inſtitui poſſe, Prius de culpa malo diſquirendum eſſe. Et quidem ſi libertas exigens & præcipiens ſpectetur, omninò dicendum eſſe, Deum malum culpæ nec approbare, nec approbare poſſe, adeoque iſta voluntate nec velle, nec velle poſſe. Idcirco enim peccatum eſſe & malum culpæ, quia voluntati illi in verbo revelatæ adverſatur. Reſpectu voluntatis decernentis difficiliorem quæſtionem eſſe, An illius voluntatis objectum poſſit eſſe malum culpa? Nos ſuperiori capite regulam conſtituimus, quicquid voluntatis divinæ præcepto morali repugnat, id objectum voluntatis divinæ & decernentis & efficientis eſſe non poſſe. Sed videamus, quid agas? Quæris,* §. 4.

*An malum culpa, qua tale, poſſit eſſe objectum voluntatis divinæ decernentis?*

*Occaſionem, ais, huic quæſtioni præbent ea ſcripturæ loca, in quibus id aſſeri videtur, ex quibus Theologi orthodoxi providentiam Dei circa malum docent & adſtruunt: ut & ea Reſormatorum Theologorum phraſes DIVI-  
RIORES, in explicatione doctrinæ de providentia Dei uſurpatæ, quibus malum culpa Deo & ejus providentiæ adſcribere videntur: unde &*



adversarij nostri quilibet gravissimas struunt calumnias, ac si Deum peccati authorem faciant, Deum verè & propriè peccare dicerent, impiosque omnes ab omni culpa immunes prestarent. Ut ergò S. Scriptura suus confet verus & genuinus sensus, Deo sanctitatis suæ & justitiæ gloria, piisque & sinceris Ecclesiæ Reformatæ Doctoribus honor integritatis suæ, sincerè & candidè explicari debet, quid ad hanc quæstionem respondendum sit. Re-  
 Etè faciunt Theologi, qui ex scripturæ textibus providentiam Dei circa malum docent. Nec enim otiosus mali spectator est sapientissimus & potentissimus Deus. Qui verò phrasibus DV-  
 RIORIBVS, ut ais, id faciunt, si conspiratione quadam & suffragio quasi quodam, non præcipitatione aut disputationis fervore id faciant, non tolerandum censemus, sed candidè improbandum. Ex Theologis, quos Reformatos vocas, nonnullos ita locutos esse, ut revera Deum authorem peccati fecerint & dixerint re ipsa, jam dudum nostri probarunt. Et progressus dissertationis hujus, Deo dante, docebit. Amplectimur autem & nos vestigationem veri & genuini sensus S. Scripturæ, assertionemque sanctitatis & justitiæ Dei.

§ 6. Ais ergo, in malo duo consideranda: 1. ipsam malitiam abstractè consideratam, quæ nihil est præter defectum & privationem, privationem sc. conformitatis cum lege: 2. positivum quid malitiæ illi substratum, quod est actio à creatura rationali profecta, cui malitiæ sive privationis conformitatis illius cum lege in est. Actionem quæ actionem esse objectum voluntatis divinæ, per se planum esse & à nemine nisi Epicuræo negandum; de malitiæ quæstionem esse. An Dei voluntas decernens possit occupari circa ejusmodi actionem, quatenus ejusmodi actio est, ita ut eam quæ talem velit? Hanc quæstionem negativè definis: Nam, inquis 1. voluntatis cujuslibet est bonum velle & quidem nil nisi bonum. Quamvis enim creatura voluntas ob mentis cæcitatem sæpe aberret, quicquid tamen vult, non vult, nisi sub ratione & specie boni si non ethici, saltem physici, & quod ob physicam solum bonitatem persequitur, ethicæ tamen bonitatis pallio velare nititur. Quanto minus voluntas Dei, qui summè bonus est, malum quæ malum velle potest. 2. Deus non potest velle, nisi quod cum natura ejus habet aliquam analogiam, quamvis tenuem. Hinc est, quod potuerit velle, ut creaturæ essent, quia in essentia saltem sua aliqualem cum ejus essentia habent similitudinem. At in malo quæ tali, ut pote in defectu



fectu, nulla ne vel minima quidem cum Deo est analogia. Deus enim est absoluta & pura pura perfectio. 3. Nihil potest velle Deus, nisi in quo aliqua ratione posset ostendere attributa bonitatis, potentia, sapientia sua. At in malo qua tali nulla ratione bonitas, potentia, sapientia Dei & similia attributa possunt manifestari, ob rationem jam indicatam. 4. Quod non potest esse objectum potentia divina, id non potest esse objectum huius voluntatis divinae: hac enim voluntas per potentiam divinam est efficax, sive quod vult, per potentiam effectum reddit. Sed malum qua malum non potest esse objectum potentia divina, quia in mero defectu situm est. 5. Si Deus posset dici peccatum velle, posset etiam dici causa & author peccati. Sed hoc posterius prorsus est absurdum, imò & blasphemum. Maioris consequentia plana est. Quia quod quis velle potest, id etiam potest efficere, si potentia adsit.

Notamus I. quod de eo adhuc sit vehemens disputatio, an §. 7.  
malitia actus moralis, qua malitia est, nihil sit præter defectum & privationem conformitatis cum lege? si præsertim de ratione morali agitetur quaestio. Sed nos hic illam scholasticam controversiam nolumus tangere, quam copiosè & salebrosè tractarunt Scholastici, G. Vasquez in 1. 2. disput. 95. Cumelius in 1. 2. q. 71. a. 7. disp. 7. Bellarm. lib. 2. de pecc. c. 5. & 18. Gregor. Val. T. 3. disp. 2, q. 13. punct 3. & disp. 6. q. 1. p. 1. Azorius Tom. 1. lib. 4. c. 1. q. 6. Molina 1. part. quaest. 5. disp. unica. Tannerus Tom. 2. Theol. Scholast. disp. 2. q. 1. dub. 2. Notamus II. actionem, qua actionem, esse objectum voluntatis divinae, neminem quidem negare debere: neminem tamen etiam affirmare debere, quod actio mala, qua actio est, sit à prædeterminante & præmovente DEO, seu sit voluntatis divinae præinfluente & prædeterminantis objectum. Aut enim Deus prædeterminavit potentiam rationalē ad eliciendum actum illum, cui malitia moralis inest, ut substerneretur ordini divino, & formale à virtute & lege diuina, rectaque ratione acciperet; aut prædeterminavit & præmovit ad ipsum illud formale malitiæ moralis habendum. Si illud, Deus frustratur prædeterminando & præmovendo suo fine, quod Maccovio supra absurdum visum est. Si hoc, ergò Deus prædeterminat & præmovet ad peccandum.

E. malitia ipsa est objectum voluntatis divinae, quod, Triglandi, tibi quoque absurdum. Itaque actio, quæ malitia morali deformatur,



matur, non est tale objectum, ad quod à voluntate divina prædeterminari & præmoveri queat aut debeat voluntas humana. Notamus III. rationes, quibus malitiam moralem, ut sic, non esse objectum voluntatis divinæ probas, esse eas ipsas, quibus Antecessores nostri horribile dogma semper impugnarunt, Deum scil. voluntate æterna, & antecedente ejus absoluto decreto non solum ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis multo maximã partem generis humani reprobasse, creasse, ordinasse. Si enim hoc verum est, ergò non tantum actio est objectum voluntatis divinæ in ista prædeterminatione, sed etiã ipsa deformitas actioni inhærens. Nam actio ratione suæ entitatis physicæ considerata non est ordinabilis ad finem aliquem divinum. E. ratione moralitatis etiam objicitur voluntati ad istum finem ordinanti. Quia igitur antecederet sese habet illa voluntas decernens reprobationem hujus vel illius hominis ad prævisionem omnis actus mali, utique jam actus mali, qui qua mali voluntati isti decernenti per se subordinantur, etiam qua mali voluntatis istius objectum sunt. Si autem rationes, Triglandi, tuæ obtinere debent, ergò non potest Deus velle patefactionem justitiæ suæ & ex ea redundantem gloriam per reprobationem absolutam sine prævisione peccati. Quia sic patefactionem justitiæ vellet Deus in vindicatione peccatorum procurare sub necessaria prædeterminatione hominum ad malum, & sic cum volitione mali, qua malum est. Rursus non potest Deus velle reprobationem absolutam. Illa enim nullam planè analogiam cum natura divina habet, sed eidem multis modis repugnat. Ad hæc si nihil potest velle Deus, nisi in quo aliqua ratione possit ostendere attributa bonitatis, sapientiæ & potentiæ suæ, non potest sanè velle reprobationem sine merito antegrediente. Quæ enim in ea elucet bonitas? Imò quicquid bonitatis in creaturam contulit Deus, illa ad exitium creaturæ inevitabile vertit. Quæ potentia excellit, quæ tota ad creaturæ absolutum interitum tendit? Quæ sapientia in ea patet, quæ tota sapientiæ æternæ rationes contra creaturam ordinat?

§. 8.

De peccato  
omissiones

Notamus IV. nondum expeditam esse rationem, quid sit de voluntate Dei circa peccatum omissionis sentiendum. Ibi enim purus



putus putus defectus est, nullus actus. Licet enim interdum in actu aliquo continuatio omissa peccatum omissionis efficiat, tamen peccatum omissionis non necessario habet actum positivum sibi substratum, à creatura rationali promanantem. Nec enim ipsa omissio, ut sic, nec ratio voluntarij ad omissionis peccatum requisita actum formaliter includit: quandoquidem voluntarium non solum dicitur, quod est directè & positivè volitum, vel causatum à voluntate, sed etiam quod indirectè & interpretativè ac virtualiter; hoc ipso, quod in nostra potestate est, ut id ipsum fiat, vel non fiat; seu quod nostra voluntas potuit & debuit quippiam cavere, exercendo actum debitum, & non fecit. Loquimur autem de actu substrato. Quod verò ad causas atque occasiones omitendi attinet, etiam si videatur eatenus peccato omissionis connexus esse aliquis actus, quia moraliter loquendo, qui omittit actum præceptum, aut expressam habet voluntatem omitendi, aut saltem vult facere aliquid aliud, quod cum executione præcepti est impossibile, primum tamen ille actus non substernitur nec formaliter includitur peccato omissionis: deinde absolutè & simpliciter loquendo rectius dicitur, peccatum omissionis aliquod posse esse sine omni actu morali aut vitioso, qui ipsam etiam peccati rationem participet. Fieri enim potest, ut obligatus ad executionem præcepti, nec positivè velit omittere actum præceptum, nec etiam ex affectu inordinato ad alium actum omitat, nec alias per actum aliquem impotentem se reddat ad operationem, sed merè negativè se habeat, tam ad omissionem, quam ad actum præceptum, quandoquidem hæc non sunt contradictoriè opposita, positivè velle & positivè nolle actum præceptum, neq; aliunde ostendi potest ulla implicatio contradictionis. Si quærat, an peccatum omissionis possit esse sine omni actu cum executione præcepti impossibili, dicimus, etiam si ut plurimum hominum intricatio & implicatio in actus executioni & observantiæ mandatorum divinatorum impossibiles omissionis causa sit, eam tamen non necessariò in quovis peccato omissionis intervenire; potest enim fieri, ut quis, ex. gr. rationes amandi Deum in utramque partem cogitans, ac proinde nullum actum intellectus seu

quo modo  
 obicitur  
 voluntate  
 Dei.

cujus.



cujusvis alterius potentia, impossibilem cum executione præcepti exercens, adhuc tamen non eliciat actum amoris. Quamquam in omissione actuum debitorum externorum, nunquam dari possit casus, in quo cum ipsa non concurrat aliquis actus, saltem quoad circumstantiam impossibilem cum executione præcepti. *De qua re in theologia morali uberius disputatur.* Quando ergo voluntas Dei circa actum aliquem ab hominibus eliciendum & præstabilem ab æterno versata est, & eum omitendum esse decrevit, voluit omnino peccatum omissionis; non utique respectu positivi actus illi substrati, qui nullus est, sed ratione ipsius malitiæ, & deformitatis, quæ in omissione voluntatis divinæ præcipientis versatur. Supponimus, Deum voluisse omissionem ex absoluto decreto. Nam si ex prævisione & scientia omissionis jam ab homine futuræ decrevit eam permittere, jam voluntas Dei non circa omissionem objectivè versata est, sed circa permissionem omissionis. At decretum divinum juxta vestros Theologos non est ordinatum ad scientiam futurationis, ut ajunt, istius omissionis, sed potius scientia illa ex hoc decreto pendet. Non enim juxta illos decretum de omissione hujus vel illius actus debiti in hominibus permittenda factum est, quia prævidit Deus, etiam positis sufficientibus auxiliis omissionem futuram, sed potius ommissio infallibiliter & prævisa fuit & futura est, quia Deus absoluto decreto ordinavit & sanxit.

## §. 9.

*An Deus simpliciter velit hominem plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omit-  
tit?*

Hinc monstrosa propositio, Deum simpliciter nolle, ut homo plus boni faciat, quam facit, & plus mali omittere, quam omittere, ac ut utrumque sic fiat, ab æterno præcisè decrevisse. Quam latè ex testimoniis vestrorum probatam dederunt Remonstrantes in Belgio defens. art. 3. & 4. p. 36. in Actis Synod. Sed MACCOVIUS vester in Colleg. Theol. Miscell. quæst. disp. 2. p. 410. latè tuetur & existimat, nisi ita statuatur, necessario consecuturum, ut aliquid fiat independentè à divina voluntate. Quod quam ineptè asseratur, supra jam indicatum. Etiam si enim asseratur, potuisse inter homines ex voluntate Dei benefica universali concurrente & intra certos terminos sua dispensante auxilia plus boni fieri, quam factum reapse est, nihil tamen divinæ potentia, à qua pendent omnia, subtrahitur. Nec enim per independentiam voluntatis humanæ illam factum,



factum, quæ in Metaphysicis delineatur & ad summam Dei majestatem pertinet, ut in quibusdam hominibus non illud emergerit bonum, quod Deus definita τὸ ἔξῃ ipsis destinaverat, sed per independentiam moralem, quam tum inadvertentiam, tum malitiosam repugnantiam vocamus, qua noluit, in media dependentia à Deo, conformare se superiori regimini, sed defecit. Hoc defecere à Deo esse & id Deum velle, tuæ rationes, Triglandi, non permittunt, quia malum est, quia nec bonitati, nec sapientiæ, nec justitiæ Dei analogum, quia nec naturæ Dei aliquo modo conforme, quia non est potentiæ, quia sic Deus esset autor & causa defectiois. Subjicit Maccovius miram ratiocinationem. Si, inquit, potest plus boni homo facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit; idque quod Deus nihil de eo decreverit: Ergo sequetur, nec de eo quicquam statuisse Deum, an esset aliquid boni facturum, nec ne? an mali omissurus, nec ne? Nam ut illa consistere non possunt cum decreto Dei, ita nec hæc. Par enim utrorumque ratio est, Pergit Maccovius: ac si ipsorum dogmata spectes, facile sunt hæc concessuri adversarij, imò contestantur hanc suam esse doctrinam. Nam ajunt, si deeretum esset Dei de actibus hominis liberis, actus isti liberi non essent liberi: cum necessitas stare non possit cum libertate. Quis tolerabit calumniam? Nos, qui omnino sentimus cum S. literis, plus potuisse hominem boni facere, supposito concursu & auxiliis Dei, quam fecit, & plus mali omittere, quam omittitur, nihilominus existimamus, Deum decretum de actibus hominis liberis fecisse, quod tum ea, quæ ante determinationem arbitrij, tum quæ in determinatione, tum ea deniq; quæ post determinationem consideranda, concernit, quod in materia de gratia latius sumus exposituri. Quomodo ergo ab homine ad Deum transit Maccovius, & argutatur, quia antecedenter de prædeterminatione absoluta hominum ad certos & inevitabiles actus decretum fecisse Deum pernegamus, pariter nec Deum de suis actibus aliquid ab æterno determinasse? Equidem necessitas à superiori imposta & determinans irresistibiliter potentiam ad unum sive faciendum, sive omittendum repugnat libertati potentiæ. Determinatio autem ipsa ex intima potentiæ perfectione resultans non repugnat libertati potentiæ. Et quia non est successioni obnoxium primum Ens, summus Deus, liber-

Q

liber-



libertas summa cum decretis in simplicissima & indivisibili æternitate perfectissimè una consistunt. Imò de perfectione summi-entis est ordinatè simul in æternitate ex summa libertate decrevisse de omnibus finitæ durationi subjiciendis. Ordo decretorum & æternitas nullatenus repugnant.

## §. 10.

Locus 1. Reg  
12. §. 15. ex-  
plicatur.

Producit Maccovius præter dicta Act. 2, 23. & c. 4, 27. 28. quæ supra jam expendimus, locum 1. Reg. 12, 15. ex quo probat, quod Rechabeam non auscultaverit populo, id non LIBERE fecisse. Dan. Chamier in Panstrat. Cathol. Tom. 2. lib. 3. c. 6. n. 29. Textus Hebraus, inquit, longè est ἐμπαρκώτερος, vulgato Latino interprete, qui habet, quoniam aversatus eum fuerat Dominus, כי היתה סנה עסה יתוה, Junius reddit: Erat enim causa à Jehova, ut præstaret verbum suum, quod locutus fuerat per Achiam Silonitem Jerobham filium Nebath. Pagninus: Fuit enim causa à Jehova. Münsterus, Quoniam fuit ordinatio Dei. Nam סנה sive נסכה vt habetur 2. Paral. 10. est Hebrais causa sive occasio. Leo Iuda. Quoniam fuit revolutio à Domino. Sensu non absimili. Sed Chaldaeus interpres severior: quoniam erat ׀לגתו contradictio à Domino, h. e. ea contradictio Roboami procedebat à Domino. Itaque Vatablus in majoribus annotationibus, proveniebat causa à Jehova, autore Jehova, atque ita volente fiebat. Sic Chamier. Nobis non interpretes, sed scriptura ipsa regulam subministrant judicandi. Non dicit textus sacer, quod voluntas Rehabeami fuerit divinitus prædeterminata & gubernata ad hoc durum responsum, ex tyrannidè præconcepta profectum. Ratio potius redditur permissæ illius contradictionis inter Regem & populum, quem non semel in Regum suorum exquisitissimam observantiam Deus animaverat. Nimirum suberat aliquid, quod ad vindictam erga eundem populum exercendam Deum suscitaverat, de quo 1. Reg. 11, 23. idololatria sc. qua se commaculavit populus infano consilio. Illa objecta semper vindici Dei oculo, ubi insuper occasionem vindicandi suggessit, ut in hac concertatione factum est, jam præsentem sensit pœnam, & patefecit populum irrumpentibus calamitatibus. Sic igitur textus sacer intelligendus. Equissimum erat ex re ipsa, ut onera populo Israëlitico remitteret Rehabea-

habea-



habeamus. Quanquam meruerit populus, si antegressa peccata intueamur, etiam hoc onus, fueritq; actionis iniquæ justa passio. Populus, parum cogitans de fundamento atque origine peccatorum onerumque, inhiabat præsentibus rebus & molestiis illis liberari voluit. Miscuit se consiliis populi Jerobeamus prompti in turbas atque dissidia animi vir, & quem Achia Silonitæ colloquium contra Rehabeamum audacem fecerat. Poterat Rehabeamus indulgere populo æstuanti & novationis consilia haud obscure ostentanti, nisi remitteret aliquid de impositis oneribus Rex. Atque hic opus erat benedictione & cœlesti moderatione consiliorum, quæ ab animis utrinque exulceratis, si sibi relinquuntur, nunquam ad salutem regni salubria sperari poterant. Cæterum iratus Deus, & jamdudum translationem decem tribuum sub jurisdictione suam Jeroboamo ea de causa pollicitus, subtraxit istam gratiam, quæ mitigaret animos, molliret consilia & conciliaret dissidia. Unde factum, ut Rehabeamus, non libertate sua à prædeterminante Deo destitutus, sed suæ potius libertati relictus, orbatus autem eo lumine, quo in pericula imminentia introspicere posset, & majestatis ostentationi intentus, non auscultaverit populo. Erat enim causa justissimi Dei vindicta, quam jam olim minatus fuerat, cur maledictione ista ex subtractione gratiæ oriunda regnum affligeretur. Sed & *וַיִּבְרַח* non causa, sed occasio vertitur, ut ipse Chamier non diffitetur. Sic Diodati in transl. Ital. Percioche questa occasione era dal Signore, per adimplere la sua parola, la quale egli havera pronunciata per Abia Silonita à Ierobam figliuolo di Nebath. Ita occasione altercantium subditorum cum Rege usus Deus ad executionem latæ contra idololatricum populum sententiæ tetendit. Geneuenses transl. de anno 1588. per viam & modum reddunt. Car ce moyen estoit de par l'Eternel pour ratifier sa parole, qu'il avoit prononcée par le ministère d'Abia Silonite à Ieroboam fils de Nebath. Denique si *וַיִּבְרַח* hoc loco non causalem, sed conclusivam conjunctionem dixerimus, perspicuum maximo pere fiet, quomodo ad voluntatem Dei consequentem ista verba pertineant. Sic enim verba sonabunt: Igitur occasio sive causa erat à Domino ista negativa responsio Ieroboami accepta, ut præstaret verbum suum &c. Q. d. Non opus fuit, ut Deus expresse manda-

Q 2

to Re-



to Rehabeam iurisdictioni eximeret decem tribus. Responsum durum Regis occasionem Deo suggestit in effectum deducendi, quod per Ahiam prædixerat. Sic igitur epicrisi & illatione prophetica ostendit divinus scriptor, quomodo Domino in manus inciderit Rehabeamus & ei suppeditaverit occasionem subtrahendi ab obœdientia ipsius decem tribus. Nusquam autem hoc indicatur, non potuisse melius respondere Rehabeamum. ¶ autem notare aliquoties idem, quod igitur, ideo, idcirco, testatur Buxtorfius vester in *Lexico* p. 354. & Vorstius atque Alstedius allegante Sixtino ab Amama gramm. Hebr. p. 228. loca, quæ adducuntur, sunt Gen. 22, 47. 1. Sam. 2, 25. Ps. 118, 10. Ier. 4, 18. &c.

§ II. Pergit tumultuari Maccovius, & ait: Ergo actus liberi non determinati à Deo, quia liberi: 2. nec actus liberi, boni scil. quales sunt hic, facere bonum & omittere malum, sunt à Deo. Voluntas ergo dum facit bonum, omittit malum, hoc non debet acceptum ferre Deo, erit ergo independens in faciendo bono & omittendo malo. Qualis est hæc ἀπερμαχία? Maccovius est independens à statu controversiæ. Actus bonos præstitos & malos omisos omnino acceptum ferimus Deo, sed non absolutè prædeterminanti & irresistibiliter præmoventi. Id verò etiam asseveramus, nos plures acceptos ferre Deo posse, nisi inadvertentiæ & malitia auxilia divina sperneremus. Nèc hoc dicta, quæ adducit Maccovius, è Psal. 119. v. 33. 34. 35. 36. 37. Ez. 36, 26. Phil. 2, 13. Ier. 38, 15. Cant. 1, 4. evertunt, quæ omnia bona & cum primis spiritualia à Deo derivant, sed non per irresistibilem determinationem, ut alibi explicabimus. Sed Maccovius nos urget: si voluntas nostra non dependet à Deo, (addamus necessariò) in faciendo bono & omittendo malo, tolletur certè usus precum earum, quibus Deum oramus, ut flectat voluntatem nostram, ne nos patiatur induci in tentationem. Nam si voluntas nostra necessariò non dependet à Deo in volendo bono, si non in faciendo bono, omittendo malo, eò quod Deus voluntatem non flectat, non determinet, quorsum Deum attinet id orare? Imò an non impiuni est id rogare Deum, quod certò scimus Deum nolle facere, minimeq; consentaneum esse aut decere, ut faciat. Imò & istæ preces erunt de nihilo, quas fundimus ad Deum, ut aliorum voluntates flectat & in nos aut nostros pronos faciat. Augustinus quantum abhorruerit ab hoc dogmate adversariorum, voluntatem nempe in acti-



*in actibus suis non dependere à Deo, cum multa testantur, tum illud inter alia, quod dicat alibi, Adamum, qui divinitus acceperat posse, ut vellet, non accepisse velle, quod posset, ideoque stare in integritate non potuisse, quod hoc posterius non haberet. Atqui ista extra oleas vagantur & idcirco urgere nequeunt. Dependendam non negamus. Modum dependentiæ, qui inevitabili necessitate causas secundas sibi subigat, refutamur. Cum hac stare preces nequeunt. Quomodo enim precaberis id, quod nescis absoluta ne voluntate tibi decretum sit? Preces nituntur promissione dedando. Nisi dicas, eadem irrefragibili necessitate nos ad ipsas quoque preces urgeri, nec plus precum effundere ad Deum posse, quam effundimus, nec plus precum omittere posse, quam omitterimus. Adamum VELLE à divina manu non accepisse, verum est. Fuisset sanè Deus, qui volendi potentiam dedit, ad ipsum usque velle dandum eliciendumque directurus Adamum & deducturus, nisi repugnasset. Non ergo ad nolle determinavit.*

*M A C C O V I U S porro ita argumentatur, Si Deus nihil statuit de actibus liberis voluntariis, tum sequitur, Deum illos actus nosse, quia sunt, non verò istos actus fieri, quia Deus, ut fierent, decrevit. At hoc admissio sequuntur complura absurda: Nam 1. res erunt mensura intellectus & scientia divina: non verò intellectus & scientia divina mensura rerum. Hinc porro, dependebit intellectus & scientia divina à rebus, non res ab intellectu & scientia, scientia; inquam, practica. Porro hinc sequetur, Deum nescire actus istos, antequam fiant. Hoc est, quod Soci-nus statuit, Deum nescire contingentia futura: præterea perfici intellectum divinum, ut qui de potentia promoveatur in actum; potuit enim scire actus liberis voluntatis, antequam fierent, postquam facti; cepit illos actu scire: tum mutari intellectum divinum, atque adeò Deum ipsum. Taliū ferax est consuetudinum doctrina adversariorum, qui statuunt, Deum nihil decrevisse de actibus liberis voluntatis nostræ. Sed hæc argumentatio primò non ferit id, quod ferire debet. Debet confellere sententiam, quæ statuit, Deum non antecedanea quadam determinatione & motione ita influere in voluntates hominum, ut inevitabili necessitate aliter agere non possint; sed absolute loquendo de actibus liberis ita ad eosdem concurrere, ut nullam tamen ipsis actibus necessitatem motione sua adferat. Cum Dei voluntas & providentia tantæ sit*

Q 3

- effica-



efficacitatis, tantaque virtutis, ut licet ei nulla potentia & libertas creata resistere possit, si absolutè agere velit, omnes tamen causas, quibus cooperatur suaviter moveat, & juxta cuiusque naturam, aut necessariò aut liberè ad operandum agitet. Non enim solum operatur, quod vult, sed modum etiam quem vult in cooperando tenet, & per varias causas varios quoque effectus producit. Hanc sententiam non attingit ista argumentatio. Nos enim omnino statuimus, Deum aliquid statuisse de actibus liberis voluntariis. Statuit nimirum, quos velit permittere, quorsum dirigere, quatenus extendere.

§. 13.

*Deinde* etiam si non intrinsecè determinet potentiam liberam ex antecedenti decreto, tamen scientia Dei manet infallibilis etiam in aliquo respectu ad decretum divinum. Equidem ex infinitate ut essentia ita etiam scientia divina fit, quod Deus omnia novit, etiam quæ ipsum pro causa habere nequeunt. Neque incomprehensibilem illam intelligendi perfectionem in abyssu æternitatis quicquam latere potest, quod undecunque emergere potest. Sed & summa perfectio non solum scit infallibiliter omnem participatam perfectionem, quæ à Deo tanquam prima causa est, verum ex opposito omnem imperfectiorem sive in infinitum possibilem & dabilem, sive etiam revera extitutam aut existentem. Hoc enim est de infinita perfectione summi entis, non solum nosse perfecta, sed & imperfectorum aut imperfectibilium nullam habere ignorantiam. Nihilominus actus liberi mali sive imperfecti aliquem involvunt respectum ad decretum divinum: verum tamen illum non causalem & originalem, sive absolutæ præordinationis, præmotionis & prædeterminationis, sed permissionis. Decrevit enim Deus è causis secundis liberis liberè emeruros actus hos potius permittere & subigere divinae providentiæ ordinationi, quam alios. Unde infallibiliter constat, qui actus futuri sint, tum quia per se è causis secundis liberis emensuri ex infinitate divinae scientiæ intelliguntur, tum quia Deus decrevit, non ut fierent, sed permittere fieri.

§. 14.

*Quomodo  
intellectus*

*Tertiò* non est mensuratio aliqua, qua res intellectum sive scientiam divinam metiantur, quando eidem objiciuntur in immensi-



mensitate æternitatis, sed potius ad subjectionem & dependen-  
 tiam earum pertinet, quod nunquam non cum omnibus affe-  
 ctionibus & defectibus suis subjaceant oculis divinis. Affe-  
 quuntur enim & vincunt eas sua infinita efficacitate. Per hanc in-  
 telligunt omnia, sicut sunt, etiam si aliter esse illa Deus voluerit.  
 Itaque intellectus divinus non dependet intelligendo à rebus, quia  
 intelligit in seipso & in seipsis omnia perfectissimè. Imò ipsa  
 scientia divina omnia penetrans rerum ipsarum causa est. Unde  
 AUGUSTINUS Tom. III. lib. II. *de Trinit. c. 13.* ait: *Deus universas  
 creaturas suas & spirituales & corporales, non quia sunt, ideò novit, sed  
 quia novit, ideò sunt: non enim nesciverat, que fuerat creaturus. Quia ergò  
 scivit, creavit, non quia creavit, scivit.* Negat nimirum Augustinus,  
 quod scientia Dei pendeat ab existentia rerum, non autem ne-  
 gat, præsciri futuras, quia futuræ sunt. Ad stipulatur vetus Scri-  
 ptor DIONYSIUS *de nom. div. cap. 7. p. 365. edit. Paris.* cum ait:  
 ἔγδ ἐκ τῶν ὄντων τὰ ὄντα μαθησάων εἶδεν ὁ θεὸς ὅτι οὐκ ἔστιν ἕξ αὐτῶν καὶ ἐν αὐτοῖς  
 καὶ αἰτίαν τῶ πάντων εἶδεν καὶ γινώσκῃ καὶ ἐστὶν ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ καὶ ἀρχὴ  
 καὶ εἶδεν ἐκαστοῖς ὀπίσθων, ἀλλὰ καὶ μίαν τῆς αἰτίας ἀρχὴν τὰ πάντα εἶ-  
 δως καὶ ἀρχὴν, ὡς ἀρχὴ καὶ τὸ φῶς καὶ αἰτίαν ἐν ἑαυτῷ τῶ εἶδεν τὴ σκοτεινῆ  
 ἀρχὴν, ἐκ ἀλλοθεν εἶδως τὸ σκοτεινῆ, ἢ ἀπὸ τῆ φωτὸς. Ἐαυτῷ ἐν ἡ δεικ  
 σοφία γινώσκουσα γινώσκῃ πάντα ἀλλως τὰ ὑλικά, καὶ ἀμείσως τὰ μετὰ, καὶ  
 τὰ πολλὰ ἐνικῶς αὐτῷ, τῶ ἐνὶ τὰ πάντα, καὶ γινώσκουσα καὶ ἀρχὴν. Καὶ  
 γδ εἰ καὶ μίαν αἰτίαν ὁ θεὸς παῖσι τοῖς ἕξ τῆ εἰδῆ μετὰ δίδωσι, καὶ τῶ αὐτῷ  
 ἐνικῶ αἰτίαν, εἶσε) πάντα ὡς ἐξ ἑαυτῶ ὄντα καὶ ἐν ἑαυτῷ ἀρχὴν, καὶ  
 ἐκ ἐκ τῶν ὄντων λήψε) τῶ αὐτῶν γινώσκῃ, ἀλλὰ τοῖς ἐκάστοις τῆς αὐτῶν καὶ  
 ἄλλοις τῆς ἄλλων γινώσκουσα ἔσαι χορηγός. ἐκ ἀρχῆ ὁ θεὸς ἰδίαν ἔχει τῶ ἑαυ-  
 τῶ γινώσκῃ, ἑτέραν ὃ τῶ κοινῆ τὰ ὄντα πάντα συλλαμβάνουσα. Αὐτῆ γδ  
 ἑαυτῷ ἢ πάντων αἰτία γινώσκουσα, ὅλην τῶ τὰ ἀπ' αὐτῆς καὶ ὄν ἐστὶν αἰτία  
 ἀγνοήσε. Ταύτη γέν ὁ θεὸς τὰ ὄντα γινώσκῃ, ἐ τῆ ἐπιστήμη τῶν ὄντων, ἀλλ-  
 λὰ τῆ ἑαυτῶ. **Joachimus Perionius Benedictinus Cormæriacenus,**  
**Henrici Gallorum Regis interpres,** ita convertit: *Neque enim ea  
 que sunt ex iis que sunt discens, novit divina mens, sed ex se & in se per  
 causam, rerum omnium cognitionem, scientiam essentiamque anticipa-  
 tam & ante comprehensam habet, non quod per speciem singula conside-  
 ret, sed quod uno cause complexu omnia sciat, & contineat: quemadmo-  
 dum etiam lux per causam in se tenebrarum notitiam anticipatam & in-*  
 forma

divina  
 mensura  
 rerum.



formatam habet, quod non aliunde, quam ex luce tenebras novit. Seipsam ergo noscens divina sapientia novit lumina, sine materia ea quæ ex materia constant, sine divisione ea, quæ dividua sunt, multa conjunctè, dum ipso uno omnia & noscit & procreat. Si enim causa una Deus rebus omnibus statim largitur, eadem etiam causa una omnia, ut à se profecta & in se ante constantia, cognoscet, nec ab iis, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet, sed & singulis sui, & aliis aliorum notitiam impartiet. Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem quæ communiter ac generaliter ea, quæ sunt, omnia comprehendit. Ipsa enim seipsam omnium causa noscens, nullo prorsus modo ea, quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitia, sed sui. Hæc Dionysius.

§. 15. Actuum verò liberorum causam esse Deum, quæ actus sunt, nemo sanæ mentis negabit, Ita tamen, ut nulla absoluta & inevitabili prædeterminatione istos producat. Neque enim, ut istos infallibiliter sciat, eiusmodi necessitate opus est. Satis est, Deum infallibiliter nosse, si sub hoc aut illo ordine rerum, positistantis aut tantis auxiliis, concursum suum cum voluntate libera ordinet, ex medullis libertatis hunc aut illum actum emerfurum, & sic decernere, quod infallibiliter concursurus sit. Quæ verò liberis actibus insidet malitia, Deum causam eorum esse, nemo sanæ mentis affirmabit. Huc spectant SS. Patrum e-logia. ORIGENES ad c. 8. Rom. Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo, antequam fiat. HIERONYMUS ad Ezech. c. 2. Non quia ille ventura cognoscit, necesse est hos facere, quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus. Item ad Jerem. c. 26, 3. ad verbum forsitan: Verbum, inquit, ambiguum forsitan majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus, quasi ex necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est, sed quia futurum est, Deus novit, quasi præsens futurorum. Et tamen sciendum juxta hunc eundem Jeremiam, etsi mala prædixerit Deus & egerit populus pœnitentiam, quod & ipse acturus sit pœnitentiam super his, quæ facere comminatus est. Et si prospera pollicitus fuerit, & egerit populus negligenter, mutet Deus senten-



sententiam & pro bonis mala inferat. CYRILLUS Alexandrinus in Johan. lib. 9. cap. 10. post objectiones de Juda, Sauleque, cum prænoscet Deus, istos apostasiam facturos, nihilominus summis dignitatibus admoverit? & similes alias propositas, ita differit: Illud maximopere considerandum est, quia rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas cuique commisit, ut in eo sit, quicquid probaverit, eligere. Qui ergo ad meliora flexi sunt, hi gloriam atque retributionem electioni suæ consentaneam invenient, qui vero improbis cogitationibus seipsos depravarunt, cupiditatum fluctibus ad scelera deducti, non injuria, ut ingrati atque improbi, æternis vexabuntur suppliciis. In hoc statu libertatis dico fuit angelorum natura constituta. Quare qui principium suum servarunt, in gratia confirmati stabilem atque firmam bonorum possident sedem: qui autem principio relicto suo ad pejora delapsi sunt, catenis tenebrarum seipsos adstrinxerunt & perpetuæ damnationi asservantur. Sic & primus homo in paradiso & spiritalibus delitiis ac gloria positus, servasset prima profecto naturæ bona, nisi crimine inobædientia mandata sibi divinitus neglexisset. Sic & Saulem unxit in Regem: fuit enim primò non improbus: cumq; postea solitam sibi probitatem non servaret, non injuria vexabatur. Sic Iudam quoque ipsum elegit & cum XII. collocavit, aptus enim in initio erat, qui ad sequendum Christum eligeretur: verum quoniam postea sensim turpi questu victus, Diabolo adhæsit & ad prodendum usque delapsus est, meritò repulsus fuit. Nihil ergo in eum possumus dicere, qui probum elegit, qui, si voluisset, non cecidisset, qui poterat totam mentem atque animum suum in charitatem Christi collocare. Nemo autem putet, idcirco, quæ à Prophetis dicta sunt, in exitum venire, ut adimpleatur scriptura. Nam si sic esset, laudari potius, quam vituperari, tanquam scripturarum ministri, nequam homines possent: quippe nec deliquisse omnino viderentur, si coacti fecissent. Nam si adimpleri scripturam necesse esset, illi per quos adimpleretur, nullo crimine profecto tenerentur. Præterea in scripturæ autorem culpa redundare videretur, siquidem, ut adimpleretur scriptura, vi quadam mala commiserint. Sed quis adeo rationis ac mentis inops erit, ut scripturam sancti spiritus peccandi causam attulisse homini unquam credere posset. Non ergo ut adimpleatur scriptura, nec ista de causa facta sunt à quibusdam, quæ scriptura prædixit: sed contra: quoniam ita nonnulli facturi sponte erant, idcirco præsciens Spiritus sanctus futura

R

præ-



*predixit. Cum igitur facta sunt, quæ predixit, pignus fidei predictionens habentes, eum jam cognoscimus, de quo ista predicta fuerunt. Hæc CYRILLUS ex versione Georgii Trapezuntii. JOHNS, CHRYSOSTOMUS homil. LX. in Matth. ἐχ' ἢ πρὸ ῥήσις χεῖρ' τὰ σκάνδαλα ἀγ'.*  
*Απαγ. ἐδ' ἐπειδὴ πρὸ ῥήσις, δὲ τὸ γένε'. ἀλλ' ἐπειδὴ πάντως ἐμελλεν ἔσεσθαι, δὲ τὸ πρὸ ῥήσις. ὡς εἶπε μὴ ἐβέλοντο οἱ φέροντες αὐτὰ πορνῶδες, ἐδ' αὖ ἦλθον. εἶδε μὴ ἐμελλον ἔρχεσθαι, ἐδ' αὖ πρὸ ῥήσις. ἐπειδὴ δὲ ἐκακώρησαν ἐκείνοι, καὶ ἀνάστα ἐνόησαν, ἦλθε καὶ πρὸ ῥήσις τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Καὶ εἰ διορθώθησαν ἐκείνοι, φησὶν, καὶ μηδὲν ἴσθαι, ὅ τὰ σκάνδαλα κομίζων, ἐκ ἐμελλεν ὁ λόγος ἔσθαι ἄλλοις ἀλίσκοις; ἔδαμῶς. ἐδ' αὖ ἐλέχθη, εἰ γὰρ ἐμελλεν διορθώσθαι πάντες, ἐκ αὖ εἶπε, ὅτι ἀνάγκη ἔλθεῖν. Ἀλλ' ἐπειδὴ πρὸ ῥήσις ἀδιορθώτους ἐσομένους οἶκθον, δὲ τοῦτο εἶπεν, ὅτι πάντως ἦξεσιν.* Hæc ille, quem ita interpretatur Anianus. *Predictio scandala inducere non putanda est. Non enim, quia futura scandala predixit, idcirco veniunt, sed quoniam omnino ventura erant, idcirco predixit. Non enim fierent, si nollent ea excogitare nequam homines atque pestiferi: quod si futura non fuissent, nec ipse ventura predixisset. Ventura verò erant, quia multi erant graviter & incurabili morbo laborantes, qui noluerunt non agere malignè, & ipse quod futurum erat predixit. Sed si illi curati fuissent, quispiam dicet, ac nemo esset, qui scandala faceret, non ne hic sermo falsitatis crimine teneretur? Certè si curari sanarique omnes voluissent, non dixisset, necesse est scandala venire. Sed quia sua sponte incurabiles futuros perspiciebat, ideò ventura omnino predixit. Omitto plures alios. Sic autem evidenter constat, quomodo res actusque rerum omnes dependeant à Deo, ipsumque etiam malum sublit divino imperio, etiam si illa limitatio divina antegrediens non concedatur. Constat etiam, quomodo omnia ab omni æternitate sciat Deus, non verò demum, cum fiunt, innotescant. Constat denique, quomodo nunquam à potentia ad actum promoveatur intellectus divinus, etiam si non absolutè, sed ordinatè intelligat omnia & ad ipsos etiam in causis secundis emerfuros eventus sese attemperet, quia in ipsa æternitate, infinitaque claritate omnia intuetur invariabili immutabili que actu.*

§. 16. MACCOVIUS non dum desinit philosophari & sic disputat: *Accedamus ad ostendendum, indefinitè istos hanc questionem proponere:*

*In quo statu homo plus*

*nerere:*



*vere: An homo potest plus boni facere, quam facit & omittere mali, quam* *boni facere*  
*omittit? Nec enim dum hoc urgent, ostendunt, aut ostendere conantur,* *potuerit &*  
*de quo statu hoc accipi volunt, aut quousque extendi debeat hæc, plus boni* *possit, quam*  
*homo facere potest, quam facit, aut plus mali omittere, quam omittit:* *facit & fe-*  
*cit &c.*  
*idcirco ratione status, ita contra illos argumentamur. Si plus homo potest*  
*boni facere, quam facit, & plus omittere mali, quam omittit. E. si in sta-*  
*tu integritatis perstitisset, & plus boni facere potuit, & plus mali omitte-*  
*re. Vtrumque est absurdum. E. Prius absurdum: quia si plus facere po-*  
*tuisset in hoc statu, & non fecisset, peccasset, quia quodcunque potuit, fa-*  
*cere debuit. Posterius itidem in idem absurdum incurrit: Nam si quid*  
*mali non omisisset, itidem peccasset. Oportet ergo statuatur in statu inte-*  
*gritatis, si homo perstitisset, plus non potuisse facere, quam facturus erat.*  
*Hoc ipsum accommodari æquè potest statui corrupto ante regenerationem:*  
*At quam invita scriptura, quæ docet, quod homo talis nec possit bonum &*  
*tantummodò ad malum pronus sit, sive feratur, omni die. Statuendum*  
*idem omninò erit secundum adversarios de statu reparationis. Quod scil.*  
*in utroque hoc homo potuerit plus boni facere, quam facit, & plus mali o-*  
*mittere, quam omittit. De homine in statu glorificationis non magis hæc*  
*verè dici possunt, quam de statu integritatis. Itaque quæ ibi dicta sunt de*  
*hoc statu, ad hominem etiam in statu glorificationis accommodari possunt*  
*& debent. De homine in statu reparationis an dici possit, videndum est.*  
*Vt rectè hæc intelligi possint, sciendum est hic 1. Hominem talem in hac vi-*  
*ta imperfectè regentem, & ut verè dicitur à nostris, si complementum*  
*regenerationis spectemus inchoativè Rom. 8, 23. Si ergo queratur, num ho-*  
*mo talis possit plus boni facere, quam facit, ( ultra regenerationis mo-*  
*dum ) & mali omittere, quam omittit, h. e. si queratur, an ultra vires*  
*suas possit plus boni facere, quam facit, & mali omittere, quam omittit?*  
*tum questio hæc homine sano non digna & c. Nam notorium hoc est apud*  
*omnes sanos, quod nihil possit agere ultra vires, quas habet. Et hinc Augu-*  
*stinus ad illud 1. Ioh. 3, 6. Quisquis in eo est, non peccat, dicit, non simpliciter*  
*non peccat; nam ita Iohannes sibi repugnaret, 1. Ioh. 1, 8. & 9 sed quod non*  
*peccet pro modulo regenerationis sibi divinitus concessæ. 2. Data potentia*  
*hac imperfecta in homine, quæri potest, an aliquo sensu de hoc dici possit*  
*verè plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.*  
*Resp. Si non edit facta & opera bona, ad quæ edenda habet potentiam hanc,*  
*aut si edat quidem, sed non adequatè ad potentiam, quam habet, tum in*



hoc casu poterit dici, potuisse plus boni fecisse, quam fecit, & plus mali omisisse, quam omisit. Non quidem in sensu composito, sed diviso, hoc est, si talis homo in se ipso consideratur, potuit, id est, potentiam habuit in se plus boni faciendi, quam fecit, & mali omittendi, quam omisit. Verbi gr: David committens adulterium & homicidium potuit hac non admittere, si in ipso potentiam spectes: nam qui toto vita cursu potentiam habuit, hac non admittendi, etiam dum laboretur, eandem habuisse certum est ex eo, quod hac peccata antea & post evitabat. At si spectes hunc hominem habentem hanc potentiam in sensu composito, id est, ratione decreti divini, ratione providentiæ divinæ actualis, & ratione permissionis peccati, tum homo nunquam plus potest boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. Ita ut hoc non posse non includat in homine tali negationem potentiae; nam ad quod potentiam habet, id non facit; (ut in Davide factum) sed duntaxat negationem actus. Quemadmodum verbi gratia, cum homo in tenebris dicitur non posse videre, non negatur de ipso potentia videndi, sed actus videndi. Hoc declarari potest exemplo hominis integri: Queritur de hoc: Anne potuit stare in statu integritatis, nec ne? Et respondetur, potuit stare in sensu diviso, h. e. potentiam habuit standi in se, sed non in sensu composito, id est, ratione decreti divini, ratione providentiæ actualis & permissionis divinæ; id est, non potuit hac potentia uti in perpetuum, quia Deus contrarium decreverat: decrevisse autem, certum est. Nam qui de lapsu capilli cujusque statuit apud se, de lapsu passeruli cujusque ex nido suo, quomodo non statuisse censendus erit de homine. Certè hic dicere possumus, quod Paulus de bobus 1. Cor. 9. in comparatione ad hominem. Num capilli & passeruli sunt curæ Deo? Quid dicam, quod Adamum labi permisit, h. e. dereliquit. Nam ita scriptura nobis permissionem peccati describit 2. Chron. c. 31. v. 11. Anne Adam tum ita derelictus ex potentia hac stare potuit? non certè, non. Praclare hac de re Pareus de gratia primi hominis contra Bellarminum: Primus homo peditus, inquit Bellarminus, justitia originali, non eguit auxilio speciali, quo excitaretur ad bonum operandum & ad vitanda peccata. Assertio superba, in Deum contumeliosa, falsa. Primum hominem fingit Ajacem quendam, vel Cyclopem Homericum, qui etiam sine Deo vincere possit, h. e. qui ad velle & perficere sibi sufficeret: ad perseverandum Deo non indigeret. Quis hic furor! In Deo vivimus, movemur & sumus, qui dat omnibus vitam & halitum, non solum



solum generali, sed & speciali auxilio. Sine me nihil potestis facere. Joh. 15, 5. Et p. 52. Ait Bell. Adamum caruisse speciali auxilio, nec eguisse. Hoc falsum. Non eguit homo, quod quia non habuit lapsus est? Sic igitur Adversarium constringo. Cujus carentia homo lapsus est, eo quod non indiguerit ad cavendum lapsum dicere insania est. Sana enim ratio dicitur, sine quo quis bonum assequi, malum cavere non potest, si non habeat, quod eo indigeat. Ob carentiam specialis gratiæ dirigentis, conservantis bonam hominis voluntatem, homo lapsus est: eam si habuisset, lapsus non esset. E. dicere hominem speciali gratia non indiguisse, ad lapsum cavendum, par est insania, atque dicere, avem pennis non indigere ad volandum. *Sed redeamus ad institutum nostrum: Dicimus ergo, hominem regenitum potentia, quam ex regenerationis dono obrinet, uti non posse aliter, quam Deus decrevit & vult, adeo ut non plus boni efficere possit, (non loquimur, de potentia, quam habet, nam ut diximus, sæpè potentiam habet, ad hoc vel illud præstandum, hoc vel illud omittendum, sed ea potentia uti non potest, nisi divinitus moveatur) quam facit, vel mali omittere, quam omittit. Hactenus Philosophia Maccovij, cui nunc paucis occurrendum est.*

PRIMUM ergo illud annotandum est, non quacunque omissione operis boni peccatum constitui. Nam homo una vice obligatus est ex lege divina ad omnia bona opera secundum virtutes legemque divinam facienda. Adhæret namque hæc obligatio homini viatori indivisibiliter. Neque tamen quovis momento in exercitio omnium bonorum operum simul versari potest. Ratio in promptu est, quia hominis operationes, cum primis exteriores, non sunt momentaneæ expeditionis, sed successionem amant. Unde manifestum est, non singulis momentis in singulis objectis exercendæ bonitatis & debitæ ergo summum numen obedientiæ hominem versari posse. Manet ergo, cum decenter in uno subjecto & adæquatè homo versatur, semper obligatio, sed executio sine reatu omitti tum potest respectu alterius objecti, cujus prosecutio cum hoc objecto impossibilis est. Tunc igitur omissio operis boni peccatum constituit, quando circa objectum ordinatè & debitè tractandum nullum occupatur homo, per circumstantias verò loci & temporis, itemq; objectum ipsum

§. 18.

Non omnis  
omissio pec-  
catum.

R 3

postu-



postulatur ad operandum, sive actualis, sive realis fiat exigentia, & omittit actum, sive per simplicem torporem & ἀνίδιαν, sive per persecutionem objecti incompossibilis cum tractatione ejus, ad quod ipsa obligatio provocat sive alio quocunque modo peccante.

§. 18. SECUNDO igitur peccatum omissionis in statu integritatis nullum futurum fuisset, etiam si asseratur, potuisse & ibi hominem plus boni efficere, quam re ipsa præstitisset, si vel maxime in illo statu perseverasset. Nam proposito quocunque objecto ita circa illud versaturus fuisset, ut regula divina postulabat, neque ibi quidem aliquid pro statu viatoris admisisset, quod defectus alicujus notam habuisset. Egisset sc. ex cœlestis auxiliij præsentia, sub sinu & oculis Dei, ex luce sapientiæ & justitiæ concreatæ, ex dictamine implantatæ legis, supra omnia avocamenta, quæ perfectam intentionem remorari potuissent. Neque tamen uno eodemque temporis puncto tractuque circa omnia objecta versari potuisset. Quamvis absolutè loquendo ipsi tum temporis adfuerit potentia & sufficientia auxilia, quibus circa plura objecta plus boni extensivè præstiturus fuisset, si non debuisset ex exigentia rei circa hoc objectum versari. Fuit enim omninò inter objecta homini in statu integritatis commendata & tractanda aliqua disparitas. Omissio ergo majoris boni prosequendi peccati nomine, in statu integritatis considerato homine, dici nequit.

§. 19. TERTIO verò illud capere non possumus, quomodo Maccovius argutari ausit, *etiam in statu integritatis valere debere, hominem plus mali omittere posse, quàm omisit.* Aut enim considerat hominem, ut persistentem in peccatorum fuga, h. e. in statu integritatis & conditoris legibus, & sic absurdè ad illum refertur, posse plus mali omittere, quam omittit, sive minus mali committere, quam committit. Nam eatenus constitisset in omissione omnis mali simpliciter. De quo autem omissio mali absolutè affirmatur, de eo magis & minus omittere mali dici non potest. Aut considerat ipsum lapsum & excidentiam hominis è statu perfectionis concreatæ. Tum verò non in statu integritatis, durantis sc. requirendum fuerat, ut plus mali omitteret; nam in eo, ut diximus, omne



omne malum omisit. Alias omninò dicendum, potuisse tum, cum exciderat è statu concreto, plus mali omittere, quam omiserat. Potuisset sc. plus dissentire, minus consentire Satanicis tentationibus; potuisset intra alicujus consensus & inclinationis terminos constituisse, non autem ad plenariam comprobationem suggestionum pessimarum procedere, neque consummare prosecutionem affectatæ cum Deo æqualitatis, sive intentæ rapinæ majestatis Dei. Quis enim adegit ad ultimam tristissimi casus audaciam?

QUARTO, *de statu corrupto* mirum est, quod Maccovius dicat, necessariò hominem tot bona omittere, quod omittit, tot mala committere, quot committit. Etiam si enim aliquorum malorum necessitatem sibi attraxerit ex implicatione in miserimum statum, & deglutito quasi in se peccato originali, unde etiam non potest non multa & innumerabilia bona omittere, quæ est necessitas hypotheseos, non verò primæ causæ & prædeterminationis absolutè decretæ, nihilominus tamen plus boni etiam in illo statu potest homo committere, quam committit, & plus mali omittere; quam re ipsa omittit. Sic in civili & extrinseco morali bono differentia est inter Ethnicos etiam & in statu corruptionis consideratos homines. Neque putandum, qui adulteriis, latrociniis, rapinis, perjuriis, idololatriis sese commacularunt, non potuisse pauciora adulteria, latrocinia, furta, perjurya committere, aut de immanitate idolomanix aliquid remittere: Aut eos qui quoad exterius virtutum civilium exercitium hujusque progressi sunt, ulterius progredi non potuisse, sed renitente decreto Dei prædeterminante intra illos terminos subsistisse. Et etiam si homo corruptus non possit facere bonum simpliciter, hoc est, quod Deo placeat, potest tamen respectu civilium operum id præstare, ut in foro exteriori minus malitiæ admixtum habeant. Manet pronitas perpetua ad malum in homine corrupto, absolutè loquendo, & si ad interius forum & tribunal Dei hominis intentionem expendas. Posse tamen aliquem magis in actus externos effundere istam propendentiam, aliquem minus, imò unumquemq; posse minus effundere, quam effundit, quis scripturæ textus negat?

QUINTO,

§. 20.





§. 21. QUINT ò, de statu glorificationis, ideò non hoc loco aliqua propositionis postulatae accommodatio quaerenda, quia est status patriæ, non viæ, ubi in perfectissima hominis cum Deo conformitate datur fruitio obœdientiæ in via exercitæ: neque est conatus faciendi, sed fructus gratiæ & facti. Unde frustra ibi quaeritur de pluri mali omissione, aut pluri boni operatione, ubi homo est supra & extra & ultra omne malum, & omnem boni terminum, fastigiumque consecutus est.

§. 22. SEXT ò, de statu reparationis, illud imprimis notandum, quod sine ullo effectu ab imperfectione novarum virium, in regeneratione & renovatione nobis concessarum divinitus, concludatur ad impotentiam plus boni faciendi, quam reapse fit & plus mali omittendi, quam reipsa omittitur. Ultra vires donatas nemo agit, potest tamen agere intra vires, infra vires, contra vires. Adamus, non restitit tentationi Satanicæ totis viribus, sed granditati objecti propositi implicitus, virium suarum usum primum neglexit, deinde contra vires peccavit. Unde liquidum est, quomodo & in statu reparationis plus boni facere possit fidelis, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit. Nimirum per ἀναζωπύρῃσιν τῶν χαρισμάτων, quibus non suscitatis subinde & redardescentibus segnities & languor inoritur, adeoque contentio ad plenitudinem mali exhauriendam, bonique consummationem impetrandam expirat. Unde μάλλον πεισθέν 1. Thess. 4, 1. ζηλῶν τὰ χαρίσματα τὰ κρείττονα 1. Cor. 12, 31. πνδμαπισοιχεῖν Gal. 5, 25. &c. inter Apostolica vota & monita comprehenditur. B. Augustinus T. 9, in 1. Joh. 3, 6. tract. 4. nobis non adversatur. Apostolus ait: qui manet in Christo, non peccat. Augustinus: *In quantum in ipso manet, in tantum non peccat.* Quo ipso non negat, in illa ipsa divina ἐμμονῇ & ἐμφυσίᾳ in Christo non posse fieri operationis novæ intensiorem & remissionem, adeoque plus boni hominem in Christo ἐμμένοντα posse facere, quam facit, & plus mali posse omittere, quam omittit. Habet sanè spiritualis περιχώρησις & ρίζωσις suam intensiorem auctioremque. Conf. Ephes. 3, 18, Coloss. 2, 7. & Esa. 37, 31. Sic semen ἐπὶ τῷ πεδῶδι jactum obstaculum habet profundioris radicationis, alias securæ, δὲ τὸ μὴ ἔχειν γλῶσσολλῶ seu βάθος γῆς Matth. 13, 5. δὲ τὸ μὴ ἔχειν

B. Augustinus vindicatur.



ἔχειν ἰνμάδα Luca 8, 6. Quod enim Matthæus dicit v. 6. *ὅτι τὸ μὴ* *Loc. Matthæi*  
*ἔχειν ῥίζαν*, factam esse ad ortum & uestionem solis exarescentiam, *13, 6. expe-*  
*συγκριτικῶς* intelligendum est. Tribuitur enim semini *ἕξανατολῆ,* *adicitur.*  
 v. 5. E. omninò aliqua *ἔμμονῆ* in ipsa terra. Et homo terræ pe-  
 trofæ comparatus, dicitur *μετὰ χαρᾶς λαμβάνει τὸν λόγον.* v. 20. Luc.  
 8, 6. *σπέρμα* hoc vocatur *φύεν.* **C O N R. PELICANUS** ad  
 Matth. 13. *Alius est, qui sermonem Evangelicum veluti semen accipit au-*  
*ribus, atque avidè dimittit in animum suum, secum meditando, ut ad il-*  
*lius regulam instituat vitam, sed quoniam non penitus infigit animi medul-*  
*lis, sed hominum more temporario quodam affectu leviter agit, tantisper*  
*fovet semen benedictum, donec in herbam exeat, ac spem quandam præbeat*  
*Evangelicæ pietatis, abstinens à magnis vitiis, ac virtutibus mediocribus e-*  
*nitescens. Verum si qua orta fuerit persecutionum procella, & ob Evange-*  
*lij professionem intentetur exilium, carcer, supplicia, mors, aliaque, quæ*  
*firmum & inconcussum animi robur desiderant, tum velut ad æstum So-*  
*lis vehementem exarescunt & deficiunt. Hunc typum habebat terra pe-*  
*triosa, semen accipiens quidem ac proferens in herbam, sed adversus solis*  
*æstum humore non valens tueri, cum per petras non liceat altius ten-*  
*dere radices.* **HENR. BULLINGERUS** Comm. h. l. *Secundum*  
*genus auditorum in parabola his verbis pinxit: Alia verò ceciderant & c.*  
*Terra petricosa aut saxosa, significat Auditores prematuros, animos, in-*  
*quam, præcoces, qui verbum Dei mox atque prædicatur, recipiunt, receptum*  
*paulò alius infigunt, miraque alacritate ob veritatem revelatam exul-*  
*tant. Habent enim aliquid terræ, quanquam ea non sit admodum pro-*  
*funda, habent aliquid bonitatis & integritatis, & hætenus quidem exo-*  
*ritur semen, id est, speciminibus aliquot demonstrant, se fidem habere*  
*Evangelio & religionem perplacere Evangelicam. Cæterum quando non*  
*habent justam fidei & charitatis radicem & vitalem succum, humorem-*  
*que Sancti Spiritus perennem, temporaria est ipsorum fides & religio, h. e.*  
*non perpetuo perseverat, sed ad tempus durat duntaxat. Id consequentibus*  
*istis explicatur fusius. Cum incidit afflictio aut persecutio & c. Id Lucas*  
*brevius & significantius his exponit, & hi radices nō habent, qui ad tempus*  
*credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quemadmodum enim Sol ar-*  
*dore suo segetem arefacit, hærentem modo in superficie terræ & demissis*  
*radicibus non altius terræ infixam, ita qualibet afflictio, velut mor-*  
*borum, egestatis, aut alterius alicuius calamitatis, imprimis autem gravis*



*verbis Dei & Sanctorum persecutio huiusmodi auditores adurit & à professione sua dejicit, ut flaccidi nullum amplius virorem Evangelicum in illis vel dictis, vel factis suis exhibeant. RUDOLPH. GUALTHERUS hom. 177. in Matth. p. 332. Sequitur secundum genus hominum, qui verbum absque fructu audiunt, & hi per loca agrorum petricosa aut lapidosa adumbrantur, in quibus semen mox quidem germinat, sed quia radices non potest profundius agere, calore & aestu adustum perit. Eos autem intelligit Dominus, qui natura non hostili sunt erga verbum Dei animo, neque à pietate omnino alieni, quin potius probant, si quid bonum & Deo placitum esse intelligunt, verum etiam corda habent duriora, neque exculta adhuc aut emollita cognitione DEI vera, ut velint Christi jugum ferre, aut propter eius nomen aliquid perpeti possint &c. Ergo his Helvetiis interpretibus non habere radicem est non altius licere tendere radicem, non altius demissis radicibus terræ insigi, radices non posse profundius agere. Atque hoc non esse in decreto divino situm, sed in libera residentia actuali, ostendit Gualtherus, cum remedium huic auditorum generi præscribit: Opus, inquit, adversus hoc vitium presenti remedio, quod Christus apud Lucam cap. 16. in diligenti præmeditatione & præparatione nobis monstrat, & eos imitari jubet, qui turrim adificaturi rationem impensarum subducunt, aut bellum gesturi, quid vires ipsorum possint, diligenter considerant. Ut enim in edificando sumtus fere rationes superant, & in bellis multa præter opinionem accidunt, ita in fidei negotio fieri solet, & tota vita Christiana, Opus ergo præparatione, quæ primū in vera Christi & regni eius cognitione consistit, ut meminerimus, hoc non esse ex hoc mundo, neque illum venisse, ut in terris regnaret, aut nos reges huius seculi faceret, sed ut à peccato & morte redimeret. Habet quidem pietas promissiones præsentis & futuri seculi, sed solet illas Dominus quoad hanc vitam persecutionibus condire, ne securitas & otium licentiam pariat. Itaque in illo non terrena quæramus, sed caelestia, nosque ad crucem ferendam præparemus &c. Possunt ergo istiusmodi homines petrositatem per auxilia Spiritus præsentis intervertere, profundius possunt radices infigere &c. Si autem ex intentione Dei, per remedia ordinata dabili, potest dari profundior feminis divini in cordibus humanis *πίστεως*, potest etiam dari prolixior *καρποφορία*, & sic plus boni potest aliquis operari, quam re ipsa operatur, & plus mali omittere, quàm re ipsa omittit.*

SEPTI.



SEPTIMÒ verò perpendendum est, quo sensu concedat Mac-  
 covius, hominem posse plus boni facere, quam facit, & plus mali omit-  
 tere, quam omittit. Dicit in sensu diuiso id fieri & concedi posse: sc.  
 si talis homo in seipso consideretur, illum potentiam habere in  
 se plus boni faciendi, quam facit, & plus mali omittendi, quam  
 omittit: non autem in sensu composito, ratione decreti divini  
 & providentiæ divinæ actualis. At illa potentia homini data est  
 in decreto divino, vel ante determinationem absolutam, decer-  
 nentem homini tantum operationis bonæ tantumque malæ, aut  
 post illud decretum æternum absolutæ prædeterminationis. Si  
 post, frustra & contra infinitæ sapientiæ rationes data est illi po-  
 tentia, qua nunquam uteretur obstante prædeterminatione. Si  
 ante, ergo intentio divina fuit de ampliori usu, nec absoluta fuit  
 ad unum & tantum duntaxat prædeterminatio. Sed enim sen-  
 sus Maccovij est, potuisse Deum hominem ad plura bona facien-  
 da determinare, quam determinavit, & ad plura mala omittenda,  
 quam omisit. Sic igitur revera homo, qui sine concursu divino  
 operari nihil potest, nullo concursu divino coordinato, poten-  
 tiam sibi datâ vi causæ primæ implente, non potuit plus boni fa-  
 cere, quam revera facit, & plus mali omittere, quam omittit. Hoc  
 est, Deus nullo suo decreto ordinavit dare concursum suum ho-  
 minibus ad illas actiones faciendas, ad quas vires dedit, & de  
 quibus leges sanxit, & ad illas omittendas, contra quas viribus  
 instruxit & interdictis pugnavit. Itaque ipse Deus executionis  
 in faciendo & omittendo ordinem antecedenter destituit. Quo-  
 modo ergo hominem ad observandum illum ordinem obliga-  
 bit? aut qua ratione puniet hominem adeò graviter, ob execu-  
 tionem faciendi omittendique non secutam? Si Deus antece-  
 denter deserit, non post prævisionem desertionis humanæ, sup-  
 positis omnibus ad desertionem non faciendâ sufficientibus sive  
 mediis, sive auxiliis, in principiis actionū erupuræ, tum non po-  
 test punire desertentem, quia est absolutè ad deserendum præde-  
 terminatus. Sumamus exemplum adulterantis Davidis & homi-  
 cidium machinantis. Habuit is potentiam non admittendi adul-  
 terium vel homicidium. Et quidem, quam toto vitæ cursu habuit,  
 etiam tum, cum laboretur, habuit, uti Maccovius ait. *Quæro an*

S. 25.

An etiam  
 in sensu cō-  
 posito possit  
 homo plus  
 boni facere,  
 quam fa-  
 cit &c?



eo divino decreto, quo primum ipsi ista potentia data, deinde conservata fuit, etiam tum ista potentia non admittendi istæ facinora isti conservata fuerit. Sicut Maccovius; Ergo intentio divina fuit, ut ista potentia etiam tum, cum ad adulterium tentaretur David, uteretur ad expellenda tentationis spicula. E. etiam concursus divinus dispensandus fuerat ad intentionis divinæ executionem. E. decretum de ista dispensatione fuit. Ergo non decretum de desertione Davidis antea fuit ipsa determinatione & motione voluntatis Davidicæ ad adulterium & homicidium. Itaque potuit ex concursu & præsentia adiutrice Dei David etiam tum, cum movit se ad illa scelera, deseruitque Deum, non deserere. Atqui per Maccovium intentio concurrenti, ad evitacionem illorum à Davide obtinendam, apud Deum non fuit. Dicit ergo; potentiam divinam eo decreto eaque intentione in Davide non fuisse conservatam, qua initio data & per reliquum vitæ tempus tum antecedens, tum consequens conservata fuit. Quomodo igitur habuit, aut quo fine conservata fuit? an ut haberet non ingruente & urgente tentatione de adulterio, deque homicidio; invadentibus verò concupiscentiis aut non haberet, aut per obstaculum supremi decreti non posset in actum deducere? Quomodo hoc cum optimi maximi numinis sapientissima œconomia conciliabimus?

## §. 24.

*Etiam sup-  
posito de-  
creto divi-  
no hominē  
plus boni  
posse facere,  
quam facit,  
& plus ma-  
li mitte-  
re, quam  
omittit.*

Itaque nisi velit Maccovius illis implicari difficultatibus, asserendum est; etiam in sensu composito hominem plus boni posse facere, quam facit, & plus mali ommittere, quam omittit, neque tantum ipsi relinquere potentiam innatam aut infusam, sed etiam potentiam divinam concurrentem, ex antecedaneo decreto divino ordinatam, quam ipse homo malitiosa ad actionis deordinationem & vitiationem deflexione deserit, unde vicissim deseritur. Sic ordo rerum gerendarum, cui præcepta & promissa Deus annexuit, ex parte Dei semper manet inviolabilis, nec ante convellitur, quam ab ipso homine convellatur. Sed compositus sensus non ille est hoc loco constituendus, quem Maccovius hoc loco sibi imaginatur, ubi compositio fit inter voluntatis humanæ potentiam & decretum voluntatis divinæ consequentis, quod facit Deus post prævisionem voluntatis

tatis



tatis humanæ, ordinem divinum, & in eo decretum exhibitum-  
 que concursum divinum ordini consentaneum vel respicientis,  
 vel non respicientis; ubi decernit, quid facere aut permittere ve-  
 lit in respiciente auxilia divina, vel quid in non respiciente præsta-  
 re velit. Hæc enim compositio consequenter sese habet ad po-  
 tentiæ rationalis actus aut omissiones, non verò antecedenter in  
 eosdem influit, aut eosdem determinat. Sic in conversione &  
 educatione hominis è potestate tenebrarum ad lucem gratiæ cœ-  
 lestis primum compositio quasi quædam fit inter intellectum  
 merè tenebricosum & cœcum, nihilq; in se continentem virium  
 ac facultatis ad supernaturalia atque spiritualia intelligendum,  
 & inter Deum gratiosè præsentem viresque intellectui commu-  
 nicantem sufficientes ad ambulandum per loca caliginosa & ca-  
 piendum æterna & divina bona. Et sic de voluntate hominis  
 componenda quasi cum divina voluntate dicendum. Ubi se me-  
 rè passivè intellectus & voluntas hominis habet, nec se ipsum  
 determinat, sed à Deo, licet non irresistibiliter, determinatur  
 ad lucem & justitiam complectendam. Istam compositionem, ut  
 sic loquar, & unionem, antecedente divina voluntate in effica-  
 ciam deducta obtentam, sequitur voluntas de danda gratia per-  
 severantiæ. Si verò ejusmodi quasi compositio quædam intenta  
 sit quidem à Deo & positis his omnibus concursus gratiosi me-  
 diis tentata, non verò obtenta, sed dissipata, ibi quidem cum  
 actu renitentia, & dissipationis concurrebat Deus præsentando  
 ordinem mediatorum gratiæ, & sub ipsa præsentatione ortum, di-  
 vinitus etiam prævisum & providentiæ divinæ legibus subji-  
 cibilem, permisit actum, cæterum in æterna omniscientiæ specula  
 consequenti voluntate decretum de actu illo terminando, & or-  
 dinando fecit; decreto igitur illi conformiter nunc actum illum  
 terminat & ordinat, restringitque, ut providentiæ divinæ ille  
 etiam subservire necesse habeat. Ubi jam alia compositio illi  
 gratiosæ & internæ divinitus omninò dissimilis. Exemplum de  
 homine in tenebris posito, qui dicendus sit non posse videre,  
 cum non potentia tamen, sed actus videndi de ipso negatur, non  
 incommodè ad explicationem hujus negotij usurpare possumus.  
 Qui suo vitio suaque pertinaciâ in tenebris sedet, etiam si absolu-



tè & in sensu diviso videre possit, quatenus tamen suo vitio suaque pertinacia in tenebris sedet, videre non potest, quia à perspicuo, per quod ad ipsum visibilia deferantur, sese subducit. Qui verò potentia videndi præditus, sed per tyrannidem in tenebris captivus detinetur & à luce severo quodam decreto arcetur, is sua culpa non potest dici non posse videre, cum omnis ista intermissæ visionis causa in decretum severum violenti detentoris sit referendum. Sed si Deus homini potentiam videndi donasset, postea lucem nullam creasset, aut aliud quicquam, quo lux medio inferri posset, tunc sanè & frustra ipsi homini potentiam illam contulisset, nec ab ipso actum videndi postulare potuisset, & in ipsum tota causa intermissæ visionis redundasset. Dum vos conceditis, Deum homini potentiam ad operandum plus boni, quam operatur, & omittendum plus mali, quam omittit, concessisse, qua absolutè actus istos elicere, vel non elicere posset, nihilo tamen minus imposuisse decretum ipsi potentiæ, quo subjugata illa non possit ulteriores aliquos morales actus vel edere, vel omittere, nonne Deum similem facitis tyranno, qui potentia spirituali videndi & operandi cœlestia intellectus & voluntatis præditus, in tenebris & vinculis detinet, & ab usura cœlestis lucis severo quodam decreto arcet? Nonne hoc modo Deus, dum potentiam donat, usum autem absoluto decreto intercidit & prohibet, perinde agere diceretur, quam si creasset potentiam videndi, nullum autem videndi medium dedisset? Siccine verò Deus non tantum immiscetur culpæ intermissæ visionis, sed etiam totam in se transfert, quod asseverare impium.

§. 25.  
An Adamus ratione decreti divini stare potuerit?

Quærit, quod OCTAVO loco expendendum, Maccovius de primo homine, An potuerit stare in statu integritatis, nec ne? Ait. ratione decreti divini, providentiæ divinæ & actualis permissionis non potuisse stare: non potuisse hac potentia uti in perpetuum, quia Deus contrarium decreverat. Atqui nullum decretum divinum labendi necessitatem ullo modo imposuit Adamo. Non decrevit Deus, ut laberetur. Non decrevit Deus, ne posset potentia sua, qua stare poterat, in perpetuum uti. Decretum divinum antecedens fuit, condere Adamum, sufficientibus instruere viribus, quibus sub præsentia divina benefica in suo perseveraret statu, mandare, ut  
in suo



in suo statu perseveraret, nihil remittere de ordine divino ad conservandum Adamum in illo statu constituto, priusquam voluntate sua insurgeret contra Deum: & quia, ut periclitaretur vires suas, permisit congressum Tentatoris adversarij, decrevit etiam permittere lapsum, si ab usu virium suarum concreatarum & cohabitantium abstinuerit Adamus, quem non usurum viribus suis, licet divinitus promptis & sufficientibus ex libera omissione, Deus præviderat. Hinc providentia actualis, hucusque omnia *καὶ ἀεὶ* sapientissimè ordinans, porro decrevit, quid de lapso esse factura. Permissio verò illa, uti deinceps ostendemus, non est antecedenea subtractio præsentium virium. Præsentes enim vires, etiam quantum ad permissionem attinet, adhuc permanent. Extinguuntur verò ipso actu sub permissione oriundo & resultante, ubi demum interciditur concursus divinus, sive conservationis actus, à quo vires ille pependerunt. Igitur si voluntatem Dei antecedentem spectemus, valuit primus homo potentiâ standi in perpetuum. Neque unquam quicumque Deus vel opposuit, vel imposuit, quo posito, eadem in perpetuum uti non posset. Decrevit verò sponte se se determinantem tradere arbitrio suo, & lapsum iis excipere modis, qui etiam ex thesauro decretorum divinorum revelati sunt. Unde jam manifestum est, quod primus homo, etiam supposito decreto divino & providentia divina actuali, potuerit diutius uti potentia standi, quam ea usus fuit. Verum equidem est, eum, qui de lapsu capilli cujusvis statuit apud se, deque lapsu passerculi cujusvis ex nido suo decrevit, non posse censeri nihil statuisse de homine. Sed id non pertinet ad majestatem providentiæ actualis Dei, ut absoluto & irresistibili decreto ejus de homine ejusque sive lapsu, sive perseverantia decretum sit. Illa, quæ de casu capilli passerculique dicta sunt, ex ordine rerum sunt, de quibus Deus absolutè decernere potest. At enim verò postquam semel in hunc ordinem rerum, sub hac voluntatis divinæ declaratione, collocatus fuit primus homo, jam constat, quomodo censere de eo supremum Numen velit, aut quid de eo decreverit ab æterno.

Præclarè de hoc negotio ex prisca Ecclesiæ Doctoribus S. 26  
differit



differit JOHANNES DAMASCENUS de Orthod. Fid. II, 12. Ἐποίησεν  
 ὁ θεὸς τὸ ἄνθρωπον ἀγαθόν, ἐυθεῖς, ἐμάρτυρον, ἀλυπόν, ἀμεινον, πάση ἀρετῇ  
 κατηγλασμένον, πᾶσιν ἀγαθοῖς κομῶντα, οἷοντινα κόσμον δεύτερον, ἐν με-  
 γάλῳ μικρῶν, ἄγγελον ἄλλου, περισπωμένῳ μικτὸν, ἐπόπῳ τῆς ὁρατῆς  
 κλίσεως, μύσῳ τῆς νοούμενης, βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς, βασιλεύοντα ἀνωθεν,  
 ὀπίσθον καὶ ἐξάνιον, πρὸς σκῆμα καὶ ἀθάνατον, ὁρατὸν καὶ νοούμενον, μέσον μεγέ-  
 θος καὶ ταπεινότητος, τὸ αὐτὸν πνεῦμα καὶ σάρκα, πνεῦμα δὲ πῶς χάριν,  
 σάρκα δὲ πῶς ἐπαρσιν; τὸ μὲν ΙΝΑ ΜΕΝΕΙ καὶ δοξάζει τὸν εὐεργέτην, τὸ  
 μέγῃ φιλοτιμῶμενος; τὸ δὲ, ἵνα πάχων ὑπομιμνήσκηται καὶ παιδείῃ.  
 ζῶν ἐν ταῦθα οἰκονομιμένον, τετέστιν ἐν τῷ παρόντι βίῳ καὶ ἀλλαχῆ, μεθι-  
 σάμενον ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι, καὶ πέρασ ἔμυστικῶς, τῇ πρὸς θεὸν νό-  
 σι δέμενον. δέμενον ὃ τῇ μετόχῃ τῆς θεΐας ἐλάμψεως, καὶ ἐκ εἰς πῶς  
 θεΐαν μεθισάμενον ἐξίσταν. Ἐποίησε δὲ αὐτὸν φύσι ἀναμάρτητον, καὶ δελήσῃ  
 αὐτεξέσιον ἀναμάρτητον ὃ φήμι, ἐκ, ὡς μὴ ἐπιδεχόμενον ἀμαρτίαν. μό-  
 νον γὰρ τὸ θεῖον ἀμαρτίας ἐστὶν ἀνεπίδεκτον. ἀλλ' ἐκ ἐν τῇ φύσι τὸ ἀμαρτιά-  
 νειν ἔχοντα, ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ὃ μᾶλλον, ἦτοι ἐξέσιον ἔχοντα μένειν, καὶ  
 περισκόπειν ἐν τῷ ἀγαθῷ, τῇ θεΐῳ (εὐεργέτην χάριτι, ὡσπύτως καὶ τρέ-  
 πεαδς ἐκ τῆ καλῆ καὶ ἐν τῷ κακῷ γίνεαδς ἔ. θεῷ πρὸς ἀποχρησῖος δὲ τὸ ἀνι-  
 ξέσιον. Οὐκ ἀρετῇ γὰρ τὸ βίῳ γινόμενον. Clichtovæus ita vertit: Fecit  
 Deus hominem purum, pravitæque carentem, rectum, fortem, jocun-  
 dum, securum, omni virtute decorum, bonis omnibus ornatum: velut  
 quendam secundum mundum, in magno mundo parvum, angelum alte-  
 rum, adoratorem mixtum, inspectorem visibilis creaturæ, discipulum in-  
 tellectualis, eorum, quæ in terris sunt, Regem, rectum desuper, terrenum  
 simul & cœlestem, temporalem & immortalem, visibilem & intelligibi-  
 lem, medium magnitudine & humilitate, eundem spiritum & carnem:  
 spiritum propter gratiam, carnem propter elationem, illum quidem UT  
 MANEAT & glorificet tantorum bonorum indultorem, hanc verò ut  
 patiatur & patiens reminiscatur & castigetur, magnitudine largitionum  
 multum honoratum, animal hic dispensatum, h. e. in presenti vita; &  
 alium in locum transmittendum in futuro seculo, &, quod finis est my-  
 sterij, accessu ad Deum deificandum: deificandum autem non translatio-  
 ne in divinam substantiam, sed divina irradiatione. Fecit autem natura  
 insontem, voluntate liberum. Insontem autem dico, non quod non esset  
 peccati susceptivus, (nam sola divinitas peccatum suscipere nequit) sed  
 quod in eo, quod secundum naturam, peccare situm non esset, verum  
 potius



potius secundum voluntatis delectum, id est, potestatem habet & manendi & proficiendi in bono, divinæ cooperatur gratiæ; idem mutari ex bono & in malum prolabi, Deo id permittente propter liberam ipsius potestatem. Nam non virtus est, quod violentia sit factum. Hæc Damascenus. Deus ergo condidit Adamum nequaquam sub decreto contrari ante ipsi usui potentia standi, sed potius cum decreto manendi & glorificandi maximorum bonorum indultorem. Imò Adamus debuit esse cooperatur gratiæ divinæ per potestatem manendi & proficiendi in bono, adeoque debuit plus boni in statu integritatis facere, quam fecit.

Non autem sequitur, quod contra Bellarminum PA- §. 27.  
 REUS infert, si non concedatur, speciali auxilio eguisse pri-  
 mum hominem, quo excitaretur ad bene operandum, futurum, *Concursus*  
 ut Cyclopi Homerici aut Ajacis instar statuatur sine DEO *divini in*  
 vincere potuisse, & ad velle ac perficere suffecisse sibi. Nam *statu inte-*  
 ut excitaretur ad bene operandum, satis erat concursus ille *gritatis ra-*  
 divinus, quem pro ista specie in perfectione & felicitate, qua *tio explica-*  
 creaverat, conservanda & perpetuanda, prima causa decre- *sur.*  
 verat, ordinaverat, dispensaverat. Concursus ille inclusit il-  
 lapsum beneficium summi luminis in lumen sapientiæ intelle-  
 ctum perficientis, & summæ virtutis in apparatus ornatumque  
 cæterarum virtutum, quibus voluntas exornata fuit. Ethic con-  
 cursus ne ad momentum quidem defuit primo homini, ante-  
 quam laberetur. Ipso illo momento, quo voluntas defecit in  
 usu virium suarum & admissione superioris concursus, retractus  
 est ille quasi & suspensus. Si ordinem quæris, omnino æsti-  
 mandum est, cum bonitate & singularissima philanthropia Dei  
 consentientius esse, si defectionem aliquam hominis priorem di-  
 camus, ipsa subtractione concursus divini. Deus sanè ordinis,  
 quem ipse sanxit, constantissimus & accuratissimus observator  
 est, neq; unquam quicquam hominis conservationi necessarium  
 subducit, quæ incomprehensibilis ejus est bonitas, nisi ex justo  
 judicio. Hoc verò requirit anteceffionem alicujus in homine de-  
 fectionis & recessus ab ordinis illius sanctimonia atque maje-  
 state. Potest equidem concursus ille vocari specialis, si specte-  
 mus, cum humanæ speciei singulariter indultum fuisse, nec cum

T

ulla



ulla alia creatura taliter communicabilem. Unus, summus, immensus creator nimirum præsentiam suam concursumque ita universis operibus suis dispensat, ut tamen singulis eam quasi attemperet, ea proportione eoque gradu, qui ad finem summum satis est, & conservationi singulorum in suo statu accommodatus. Estque concursus ille actuosus & efficax. Fuit autem primo homini ita dispensatus, ut illo perenniter frui potuisset, & ut Damascenum loquentem audivimus, esse cooperatore divinæ gratiæ: non verò inevitabiliter irresistibiliterque illius voluntatem prædeterminavit, sed admisit infra se in homine repugnantiam & defectionem liberam. Illamque admissionem non necessariò, sed liberè sequitur repugnantia seu defectio, idque idè, quia nihil subtrahit aut subducit, sed ordinem servat, ut hominem servet, conservatione tamen non absolutâ, sed ordinatâ. Si itaque per speciale auxilium absolutam & irresistibilem gratiam Paræus intelligat, nihil obtinet. Non etiam statim Ajacem & Cyclopem Homericum hominem primum fuisse asseverant, qui sine Deo vincere posset, & ad velle atque perficere sibi sufficeret, cum tali auxilio non eguisse dicunt Theologi. Sufficit ille beneficus & amarus concursus divinus, sapientissimè illum in omnibus moderatus, quo posito, nequaquam ad velle & perficere sibi solus suffecisset, sed omninò à concursu illo pependisset, qui ad bona quæque illum determinasset & deduxisset, nisi nova repugnantia actuali sese isti concursui optimi Dei subducere conatus esset. Posito illo concursu divino, & usurpatis excitante concursu viribus donatis, vincere potuisset tentationem, non tamen sine Deo vicisset, qui totam victoriam in tanta harmonia & pulchritudine concurrenti Deo debuisset.

§. 28.

Neque profectò generalis concursus divini, quem auxilium vocat, indolem & naturam capit Paræus, cum ex dicto Actor. 17. *in Deo vivimus, movemur, & sumus*, qui dat omnibus vitam & halitum, concludit, id fieri non solum generali, sed & speciali auxilio. Ipse enim generalis concursus divinus, quem præsentiam Dei universalem Theologi nuncupant, est cum proportione, relatione & applicatione ad singulas creaturas, quibus vita, motus, essentiaque dispensatur. Hic in singulis certo  
sanci-



sancto ordine efficac est. In quo ordine creaturæ sive inanimatæ, sive irrationales necessariò decurrunt: creaturæ verò rationales liberæ, liberè. Itaq; possunt illum ordinem deferere, admittente concursu divino. Quando verò consistunt in ordine, non sua vi, sed concurrentis Dei beneficio subsistunt, à quo id omne est, quo sunt & subsistunt. Sic potuit primus homo omittere & occasiones ad repugnantiam deducentes allicientesque, & ipsam repugnantiam cohibere; nihilominus persistentia ad concursum divinum pertinuisset, cujus efficaciam repressit repugnantiam & viribus usus est sapientiæ, qua caliginem grandia promittentis serpentis potuit discutere. Mansisset enim in ordine divino ordinantis Dei opere. Sed illo non ex absoluto decreto promanante. Dum autem sprevit efficaciam concursus, nec usus est viribus datis, lapsus est. Itaque falsum est, quod propter carentiam alicujus specialioris, intensioris, & extraordinarij auxilij, quale missit Patæus, lapsus sit primus homo. Neque enim tale ad perfectionem status conservandi necessarium fuit, etiamsi, si datum fuisset, conservatus fuisset. Neque enim omne id, quo posito primus homo in integritate perstitisset, ad ipsius perseverantiam necessarium fuisse, si Deus eam voluisset, dicendum est. Aliàs & unionem personalem, quæ *ὁμοουσιότητα* inducit, necessariam fuisse, dicendum erit: quod nemo asseverabit. Malè ergo concludit Maccovius, *hominem regentem potentia, quam ex regenerationis dono obtinet, uti non posse aliter, quam Deus decrevit & vult, adeò ut non possit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.*

Hoc sanè ictu concidit omnis admonitionum sanctissimarum, objurgationum justissimarum, votorum, stimulorumque penetrantissimorum validitas, quæ uspiam in sacrarum literarum monumentis reperitur. Dic MOSES; Deut. 4, 5. *Vide domini vos statuta & judicia, quemadmodum mihi præcepit Iehova Deus meus, ut sic faciatis in medio terræ, quo mox ingressuri estis ad possidendam eam jure hereditario. Observabitis ergo atque facietis.* Responderent hac conclusione imbuti Israëlita: *Plus observantiæ præstare non possumus, quam præstabimus, minus inobædientiæ exhibere non possumus, quam exhibebimus, quia subjacemus irrefragabili decreto, quo jam*

T 2

defini-



definitum est de nobis, quantum committere vel omittere debeamus. DIC DAVID Psal. 2, 1. Quare tumultuantur gentes & nationes meditantur inane & c. Respondebunt: Nos minus tumultuari non potuimus, nec à meditationibus inanibus nobis magis temperare, quam tumultuati fuimus & meditati; quia subjacimus prædeterminanti decreto, quo jam ante ad tumultuationes istas meditationesq; destinati sumus. Objurga ESAIAS cap. 1, 2. 3. 4. 5. Audite cœli & auribus percipe terra: nam Iehova loquitur. Filios educavi & extuli, ipsi autem deficientes rebellaverunt in me. Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël non agnoscit, populus meus non animadvertit. Ah gens peccatrix, populus gravissimus iniquitate, semen maleficientissimum, filij corruptionis, dereliquerunt Iehovam, contemtim irritaverunt sanctum Israël's, ab alienantes sese averterunt retrorsum. Respondebunt: Non potuimus minus deficere, non potuimus in paucioribus rebellare, non potuimus à contemptu & irritatione sancti Israël's abstinere magis, non potuimus in mandatorum divinorum observatione progredi longius. Ingemiscat JEREMIAS cap. 4, 19. Viscera mea, viscera mea doleo, præcordia mea, fremit mibi cor meum, non possum silere, nam sonum buccinæ audit anima mea, clangorem tubæ belli. v. 20. Contritionem super contritionem proclamari, quin vastanda est tota hæc terra, repente vastabuntur tentoria mea, momento aulea mea. v. 21. Quousque visurus sum vexillum? auditurus sonum buccinæ? v. 22. Quoad stultus erit populus meus, quoad me non agnoscent, quoad filij stolidi erunt, neque intelligentes erunt? quoad sapientes erunt ad malefaciendum, & benefaciendi ignorantes? & c. Respondent: Veniat bellum, clangat buccina! proclametur contritio super contritionem, vastitas terræ inferatur, dissipentur aulea, destruantur tentoria! spectetur vexillum, resonet tuba! stultitiam nostram procurentem ad extremam usque insaniam lineam cohibere nequimus, minus stulti esse non possumus: in agnitione Domini provehi non possumus, plus agnoscere nobis datum non est, imo absolutè denegatum est: advocare radios sapientiæ illuminantis fas nobis non est, exclusi sumus superiori potestate. Quod filij stolidi sumus, decretum Dei est. Quod sapientes sumus ad malefaciendum, benefaciendi ignorantes, decretum Dei est. Minus malifacere, plus boni facere, datum nobis non est desuper. Instruat EZECHIEL c. 18, 5. Quum quis erit justus, exercebitque jus ac justitiam, v. 6. in illis montibus non comederit, & oculos suos non sustule-



sustulerit ad stercoreos Deos domus Israël, uxoremque proximi sui non polluerit & ad uxorem ex immunditia separatam non appropinquaverit: v. 7. Neminemque oppresserit, pignus suum debitori reddiderit, rapinam non rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit veste: v. 8. In usuram non dederit, & fœnus non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum suam, jus verum exercuerit inter unum & alterum. v. 9. In statutis meis fideliter ambulaverit, iuraque mea observaverit colendo veritatem, iustus hic omnino vivet, dictum Domini Iehovæ. v. 10. Quod si genuerit filium effractorem, effusorem sanguinis, qui faciat fratri præter ullum istorum: v. 11. Qui ista omnia non faciat, qui etiam in istis montibus comedat, & uxorem proximi sui polluat. v. 12. Pauperem & egentem opprimat, rapinas rapiat, pignus non reddat, & ad stercoreos Deos attollat oculos suos, abominationem faciens. v. 13. In usuram det & fœnus accipiat, hiccine viveret? non vivet! omnes abominationes istas fecit, omnino afficietur morte, cadis ipsius causa in ipso erit &c. Occurrunt instructi: Exercitium juris justitiæ, à solo dependet prædeterminante Dei decreto, in excelsis comedere, vel non, oculos attollere ad stercoreos Deos domus Israël, vel non, uxorem proximi polluere, vel non, ad uxorem ex immunditia separatam appropinquare, vel non, proximum opprimere, vel non, pignus debitori reddere, vel intervertere, rapinam rapere, vel non, panem esurienti dare, vel non, nudum operire veste, vel aperto vestem detrahere, in usuram dare, vel non, fœnus accipere, vel non, ab iniquitate trahere manum suam vel admovere iniquitati, jus adulterare, vel verum exercere inter unum & alterum, statuta Domini fideliter observare, vel malitiosè negligere, in uno alterove objecto plus minusve facere, à nobis alienum est, imminet decretum nobis impositum, ejus lineas transgredi nequimus. Succumbimus absolutè statutis terminis. Sic obviabunt Danieli & reliquo prophetarum choro. Sic excipient ipsum Jesum Christum. Sic Paulum, Petrum, Johannem, Jacobum, Judam sive monentes, sive objurgantes, sive optantes, sive stimulantibus tractabunt, si quidem ista maxima obtineat, hominem etiam regentum potentia, quam ex regenerationis dono accepit, uti non posse aliter, quam Deus decrevit & vult, adeò, ut non possit plus boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.

Respondet Maccovius I. præsupponere nos hypothesein §. 30. falsam, quasi omnis homo pietati studeat. Certè homo animalis non



subjicitur legi Dei, nec potest, Rom. 8, 7. I I. Homines pios, etsi credunt, se nihil aliud agere posse, quam quod Deus, ut agant, decrevit, interim tamen pro regulâ vitæ sibi propositam habent legem Dei, & in studium illius observandæ seriò atque sedulò incumbunt, deque illius successu ex promissione Dei bene sperant. Certè David credebat omnes actiones suas à Deo sciri. Psal. 139. ac proinde ex ipsius decreto gubernari, nec minus seriò tamen in studium legis observandæ incubuit, ut locuples testis est Ps. 119. III. Etsi nobis in genere ac indefinite constet, aut saltem ex Dei verbo constare potest, nos nec plus boni posse facere, quam facimus, nec plus mali omittere, quam omittimus, quia Deus, ut utrumque sic fiat, ab æterno decrevit: tamen quia nobis non constat in specie ac definite, quantum desinivit Deus ut faciamus, vel omittamus, non possumus jure fatui censeari, si perpetuò studeamus plus boni facere, quam facimus, itemque plus mali omittere, quam omittimus. Imò sapientes potius jure censebimur, si relicta Dei arcana ipsius gubernatione ad perfectionem perpetuò tendemus, & præcepta Dei, quibus omnis generis bona nobis præscripsit, præstare studebimus. Deut. 29, 29. IV. Si fatalem necessitatem putemus necessitatem ex hypothesi decreti divini, tum se admittere fatalem esse in operationibus humanis necessitatem. Et quomodo queso non omnia necessario eveniunt, cum omnia eveniant, vel quod Deus facere illa decreverit, si bona sint, vel permittere apud se statuerit, si mala sunt. Nam statuere, non omnia, quæ eveniunt, Deum decrevisse, hoc verò dogma est tale, cui meritisimo impingi hoc potest, quod religio omnis per illud & disciplina penitus tollatur. Nam si hoc ita habet, ergò aliquid evenit necessario, quod à Deo non dependet, hoc verò est Stoicum fatum statuere. Hoc enim pacto eveniunt quædam Deo invito & nolente: Vnde Deus ipse huic necessitati invitus subjacebit? At quomodo queso hæc cum ipsius providentia, omnipotentia, beatitudine consistere possunt? Providentia, ut qui rerum ordinem ita constituerit, & porrò regat, ut ipso nolente aliquid eveniret. Omnipotentia, ut qui, quæ noluit, avertere, quo minus fierent, non potuerit. Beatitudine, qui quod noluit, & quod non ferat, evenire pati cogatur. V. Negat sequi, si necessario omnia eveniunt respectu decreti divini, quod per hoc omnis tollatur religio, omnis pietas. An enim religionem non coluerunt isti, de quibus Jer. 32, 40. dicit: Reverentiam indam animo ipsorum, ut non recedant à me? annon norant disciplinam illi, quibus illa promittebat & tandem etiam conferebat Deus, Ezech. 36, 26. 27.

Amove-



Amovebo cor lapideum è carne vestra, indam vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, quo faciam, ut in statutis meis ambulatis & jura mea observetis. Erant sc. expertes pietatis illi, quibus pronuntiabat Deus Os. 2, 19. Desponsabo te mihi in seculum, desponsabo te, inquam, mihi in justitia, iudicioque & benignitate ac misericordia. Appage vero quisquis es cum tali religione. VI. ait: Deus amat justitiam eam, quam faciunt homines, non eam, quam non faciunt, quanquam facere ex lege debent. Nam si eam amaret, si illa delectaretur, etiam eam efficeret in hominibus. Ps. 115, 13. Et quomodo queso illa delectaretur, cuius contrarium decrevit permittere? Certè ut non placet illi in hac vita nos perfectè regenerare, ita nec placet, ut simus sine omni peccato. Nam si hoc ipsi placeret, tam facile erat ipsi hoc prestare in vita hac, ac prestiturus est in vita futura, ubi perfectè integritati pristinae, in qua conditi sumus, nos restituet.

Reponimus ad I. non esse nostram hypothesein, quasi omnis homo studeat pietati. Hoc autem contendimus, hominem posse, posito ordine divino ad pietatis operationem observando atque applicando & ipsi homini proposito, non rarè & citius ad pietatis exercitium pervenire, quam pervenit, & longius progredi, quam progreditur. Hoc si negatur, dicimus studium atque industriam omnem exercendi pietatem, aut progrediendi in eadem labefactari. Ubi enim obstat absolutum & peremptorium decretum Dei, ibi studium atque industria omnis frustra sunt apud mortales. Imò ibi esse non possunt. Decretum namque divinum non solum est de ipsa pietatis exercitatione, ejusque progressibus, atque limitibus progressuum, sed etiam de studio atque industria, tum ratione existentiae, tum ratione quantitatis, sive intentionis & remissionis. Quod de homine animali, qui legi Dei non subicitur, nec subjici potest, ex Rom. 8, 7. profertur, planè impertinens est. Nec enim, quod animalis homo non subicitur legi Dei, nec potest subjici, ad decretum Dei pertinet, aut ex eo suam habet originem. Est enim *φρόνημα σαρκὸς ἐχθρὸν εἰς θεόν*, vers. 7. Igitur ab absoluto Dei decreto, antegrediente & prædeterminante voluntatem humanam, oriri nequit. Hinc nec *ἐν σαρκὶ ὄντες* possunt *θεῷ ἀρέσκειν*. Quapropter omni contentione Apostolus hortatur, ut ambulemus in spiritu. vers. 4. 5. 6. Quod igitur *φρόνημα τῆς σαρκὸς* non subicitur legi divinae, neque subjici potest, ex ipsius natura & qualitate proficiscitur,

S. 312

Locus Rom.  
8, 7. exper-  
ditur.



Ut enim caro & spiritus in homine quidem sunt unà, nunquam autem conciliari possunt, sed hostes sunt perpetui, ita & utriusque φρόνημα concordare non potest. φρόνημα ergò τῆς σαρκός, licet non possit subjici legi, tamen ejici potest & tolli. Hoc enim vult Paulus, ut magis magisque omittamus φρόνημα τῆς σαρκός, ceu φαναλοφόν, & sequamur φρόνημα τῆς πνεύματος. Unde jam fuit argumentum contra Maccovium: Quos stimulat S. Paulus ad deserendum magis magisque φρόνημα σαρκός, & sequendum atque amplexandum φρόνημα τοῦ πνεύματος, illi minus φρονήματι σαρκός agi, magis φρονήματι πνεύματος gubernari possunt, quam re ipsa aguntur atque gubernantur. Non enim dicit S. Paulus, quod periclitari & tentare debeant, an possint per superioris Domini insuperabile decretum minus agi φρονήματι σαρκός, plus gubernari φρονήματι πνεύματος. sed vult, ut toto animo ad deserendum refutandumque mortiferum σαρκός φρόνημα contendant, & salutiferum πνεύματος φρόνημα sequantur. At & Paulus Romanos stimulat ad deserendum magis magisque φρόνημα σαρκός, & sequendum atque amplexandum φρόνημα τοῦ πνεύματος. Romani igitur minus φρονήματι σαρκός agi, magis φρονήματι πνεύματος gubernari poterant. Nec illud prætermittendum hoc loco, quod Maccovius loco φρονήματι σαρκός malè substituit animalem hominem, de quo 1. Cor. 2, 14. dicitur, quod animalis homo non percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei, neque percipere possit. Aliud enim est animalis homo, aliud φρόνημα σαρκός. Animalis homo est homo irrogenitus, in suis viribus & facultatibus consideratus: hic in spiritualibus intelligendis ex se nihil præstare potest: neque enim lumen illud intellectus habet, quo informata potentia intelligendi spiritualia objecta & regni gratiæ mysteria attingere potest & recipere. φρόνημα σαρκός verò est operatio carnis etiam in regenitis adhuc residua & veteris hominis proles, h. e. intellectio & volitio corrupta, quæ repugnat spiritui, & obstat ejus suggestionibus motionibusque, ne recto procedant tramite. S. Paulus ergò vult Romanis indicare, principia actionum diligenter attendenda esse. Esse in sanctis etiam carnem, esse spiritum: esse viam carnis, ad quam calcandam illiciuntur, esse viam spiritus, ad quam sancta gubernatione agitan-



agitantur: esse φρόνημα σαρκός, & esse φρόνημα πνεύματος. Habere fideles magna praesidia pro spiritu contra carnem. Itaque debere eos omnibus modis sibi cavere, ne φρόνημα σαρκός sequantur, & in ejus noxia & perniciosissima incidant confectionaria. Ibi igitur est φρόνημα σαρκός, ubi est σάρξ, hoc loco monente Apostolo Paulo, coërcenda, v. 1. & 2. ubi est (σώμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν v. 10. ubi sunt infirmitates, quibus (συνήλαμβάνει) τὸ πνεῦμα v. 26. ubi est ἀπειρεσία inter legem mentis & legem membrorum c. 7, 23.

Ad II. qui sciunt, se nihil agere posse, quam quod Deus, ut agant, decrevit, & simul credunt, Deum ad omnem actionem praemovere & praedeterminare, adeoque se nihil agere posse, nisi prius agantur & suscitantur irresistibiliter à superiori causa, & ubicunque deficiunt, illud non nisi ex motionis divinae carentiâ fieri, illi non possunt consequenter & juxta suorum principiorum facultatem erigi ad studium legis & observationem regulæ cœlestis. Nam quod sibi propositam habent legem cœlestem, & in illius observationem sedulò incumbunt, id ab illa infallibili antecedente praemotione & praedeterminatione promanat, à qua ad quamcunque actionem & cujuscunque actionis gradum promoventur & agitantur absolutè. Namq; magis studere legis divinae regulæ, aut minus eandem negligere non possunt, qui non possunt plus boni facere, quam faciunt, & minus mali committere, quam committunt. Est igitur vana & principiis contradictoria persuasio, cum putant, se ardenti conatu incumbere observationi regulæ divinae, & ardentiori studio porrò incumbere velle. S. David credidit quidem, omnes suas actiones à Deo sciri, Psal. 139. sed non credidit, omnes antecedente decreto designatas & praedeterminatas esse, ut nunquam potuerit vel plures bonas actiones edere, vel pauciores etiam malas committere. Hoc si credidisset, longe aliter Psal. 119. locutus fuisset. Contendit is perpetuo à Deo, ut in perfectione obedientiae Deo crescat, & subinde sapientiae justitiaeque incrementis abundantior fiat. Et contendit hoc ex illuminantis S. Spiritus certamine. Ergò omninò paratus est Deus dare incrementa perfectionis precantibus. Nam & precari ad ordinem divinum pertinet, intra quem positus suam Deus dispensat gratiam. Rectius autem

S. 32.

An studio  
pietatis ob-  
stet Macco-  
Sii pronun-  
ciatum?

V

pre-





precaturus fuisset, si precatus esset suæ perfectionis ex absoluto decreto infallibiliter dispensandum demensum, ultra quod nihil erogabitur, infra quod non terminabitur Dei dantis voluntas, si per decretum divinum stare persuasus fuisset, quod non plus boni homo faciat, aut plus mali omittat.

§. 33.

Ad III. Ut in specie nobis constet, vel non constet, quantum boni ex absoluto Dei imperio facturi simus vel omissuri, ad id nil magis facit, quod de studio pietatis diximus, aut magis impedit, quam quod generaliter tantum constat, non plus boni nos facere posse, quam facimus, nec plus mali omittere, quam omitterimus. Satis nobis est, eo ipso studium contentionemque in piis convelli, & annihilari vim monitionum ad studium contentionemque illam in languidis & remissioribus, quia indefinite constat, non majus studium nostrum esse posse per absolutum decretum, quam reapse est, non minorem languorem atque oscitantiam, quam reapse comparet. Imò nihil in nobis esse, quod reniti concursui divino queat ad talia nos ducturo: atque adeò non minus fatuitatis, aut plus sapientiæ à nobis præstari in christianismi cursu posse, quam præstatur.

§. 34.

*De Fato  
Maccovian.  
no.*

Ad IV. Quod Maccovius Fatum divinum necessitans & suum decretum absolutum, quod ab æterno fatus est Deus ex opinione sua, copulat, permittimus. Sed ejusmodi hypothese in decreti divini antecedenter necessitantis omnia, non concedimus. Quod enim omnia eveniunt, vel quia Deus illa facere decrevit, si bona sunt, vel quia permittere apud se statuit, si mala sunt, nondum satis est, ut ejusmodi fatalem necessitatem introducamus. Nam fatalis necessitas, sive vis absoluti divini decreti, causaliter influit in actiones causarum liberarum, adeoque determinat & circumscribit irresistibiliter omnia. Permissio autem divina non imponit aliquam necessitatem resultantiam actionum malarum in causis liberis, neque antecedenter aliquid subtrahit ordini concursus divini, quo subtracto jam nequeant aliter operari, quam reipsa operantur. Itaque quia permittere decrevit, scit etiam orituras esse illas actiones malas, non tamen aliam quam consequentiæ necessitatem inde colligimus, qua non potest Deus res aliter scire, quam reapse sunt. Sed ista præscientia non



non imponit antecedentem quandam necessitatem rebus futuris, sed quadam ratione concipiendi nostra conjungitur cum rebus futuris, sive actibus liberis, & concursum agentibus dispensat, & ex infinitate perfectionis sciendi in Deo sub se habet omnia. Et quia omnes actus liberi intra ambitum finitæ durationis reperiuntur, omnis verò finita duratio collata ad æternitatem, in qua præscientia Dei est, vix momentum est, sicut omnis finita substantia ad immensitatem Dei comparata vix punctus est, ideoq; æternæ præscientiæ omnes actus liberi subsunt. Sic Bartholom. Keckermannus *system. theol. lib. I. cap. 5. pag. 114.* Prævisio seu præscientia Dei nullam affert necessitatem eventibus futuris. Prævisio enim differt ab efficacia agendi, seu ponendi eventus: non sunt res tales ob præscientiam Dei: sed quia tales futura erant, ipso Deo vel agente, vel permitte & dirigente, ideo prænovit.

ANTONIUS WALÆUS Tom. I. oper. pag. 231. valdè § 35.  
se torquet in hoc negotio. Fatemur, inquit, aliquo respectu necessaria esse respectu divinæ providentiæ, quæ à causa libera & contingente fiunt respectu causæ proximæ. Sed hæc necessitas non pugnat cum libertate. Nam distinguendum est inter necessitatem absolutam seu simplicem, & inter necessitatem hypotheticam seu secundum quid, quæ ab aliis vocatur necessitas infallibilitatis & consequentiæ, non consequentis. Quæ distinctio sumta est ex ratione syllogismi demonstrativi. Nam in omni syllogismo vero medius terminus semper est causa consequentiæ, sed non est semper causa consequentis, id est, attributi conclusionis, quod tantum in syllogismo & dicitur locum habet, ut ex Logica notum. Sic ergo diverso respectu res eadem potest esse necessaria & contingens: quemadmodum in syllogismo communi forma potest esse necessaria, etsi materia tantum sit probabilis. Vocatur etiam necessitas infallibilitatis seu eventus, quia posita Dei determinatione eventus quidem infallibiliter sequitur, sed tamen non immediatè à determinatione illa, sed mediante hominis libertate, quam sua determinatione Deus non violat, sed includit & confirmat. Vocatur etiam necessitas infallibilitatis respectu præscientiæ, quæ & finem, & media, & omnes modos ac connexiones mediorum penetrat, & falli non potest. Vocatur etiam necessitas ex hypothese & secundum quid, nempe decreti, quod presupponitur in se libertatem continere, non excludere. Necessitas ergo absoluta, coactio, item naturalis, opponitur libertati, non au-

Ant. VVæ-  
les confusio  
distinctio-  
nis inter  
necessitatē  
consequen-  
tiæ & con-  
sequentis  
notatur.



rem illæ necessitatis species, de quibus jam actum. Exempla hujus rei plurima extant in scriptura. Nam si causas secundas spectes in historia Iosephi, filij Iacobi, nempe fratrum ejus in ipsum odia, mercatorum prætereuntium emtionem, somniorum recitationem, Pharaonis hinc ortam in eum propensionem, contingenter in statum illum à Pharaone Iosephus est evectus: si verò Dei voluntatem & providentiam, id necessario ab eo factum, quemadmodum Gen. 37, 7. fuerat prædictum & à Iosepho postmodum coram fratribus confirmatum, quando dixit, vos me huc non misistis, sed Deus me huc misit. Sic 1. Reg. 22, 34. Achabus contingenter casus est in prælio à milite qui ne hoc quidem in animo habuit: si tamen Dei prædictionem per Micham factam spectes, necessario. Sic Cyrus nomen Cyri accepit, ad regnum miris modis evectus est, liberavit Israëlitas ex captivitate sua, si causas proximas spectes, contingenter & liberè, si Dei regimen & prædictiones, infallibiliter & necessario, quemadmodum videre est Esa. 44, 23. cap. 45, 1. & c. Sic Christus liberè ad mortem perductus est, si causas proximas spectes, & tamen necessario, si Dei definitionem & voluntatem Luc. 22, 22. Imò verò ex sola hypothese divinæ præscientiæ & quidē illius mediæ, sequitur necessitas aliqua infallibilitatis. hac Waleus.

§. 36.

Atqui primò Waleus in prima causa ponit necessitatem rei. Per æternum namque, absolutum & immutabile decretum constitutum est, quicquid in tempore fit. Ergo non ponit duntaxat necessitatem consequentiæ, sed consequentis. Nam necessitas consequentiæ non est ipsius rei necessitas, cum illa in sua natura fit mutabilis & contingens, sed illius est necessitas, quod ad rem illam positam sequitur. Necessitas autem consequentis est ipsius rei necessitas, quæ consistit in essentiali effectus à causa dependentia, quando nimirum res sequitur ex causa antecedente necessaria, vel quando tam antecedens, quam consequens est necessarium. Oritur enim necessitas hæc ex essentiali & necessaria causæ & effectus nexu. Deus autem ipsius rei necessitatem causis secundis imposuit, si per æternitatem decreti prædeterminantis ad unum indifferentiam sive liberam determinationem inter contraria aut contradictoria, sive ad objecta & actus jam præclusit. Deinde necessitatem constituit hypotheticam, sed hypothese decreti divini absoluti & immutabilis. Atqui necessitas hypothetica non est, quæ ex hypothese absoluti decreti est, sed est absoluta necessi.



necessitas. Ut enim decretum circa ordinem rerum est, ita quicquid absolutè ex decreto oritur. Hypothetica necessitas habet hypothesein in re seu facto, non in causa prima. Dicitur propter hypothesein seu conditionem rei immutabiliter annexam. Sic qui ambulat, necessariò movetur. Necessitas motus dicitur hypothetica necessitas, cum à movente liberrimè motus sit elicitus, quia hypotheseis ambulationis hic annexa est. Et pertinet huc illud Aristotelicum *de i. ep. v. 9.* omne quod est, quando est, non potest non esse. Tertio necessitatem infallibilitatis non ex scientia claræ visionis deducit, unde tamen, consensu totius antiquitatis, respectu agentium liberorum imprimis, deducenda, sed ex absoluta prædeterminatione, ex qua & finem à se præstitutum, & media à se irresistibiliter definita & in operationem, quæ impediri nequit, ordinata, & omnes connexiones mediorum à se antegrediente decreto constrictas & colligatas penetrat. Ea verò non est, ex usu Doctorum, infallibilitatis necessitas, cum hæc unicè ad infallibilem omnividentem Dei oculum pertineat, quo non solum res à se ordinatas antecedenti sua voluntate intuetur, sed & quid ex liberorum agentium applicatione ad istum ordinem consecuturum sit, introspicit, unde postea consequenter ordinat, quicquid ex ordinis antecedentis promissis minisq; promanat. Quarto ita explicat necessitatem consequentiam in hoc negotio, cum eam, recepto apud Doctores more, cum necessitate illationis syllogisticæ comparat, ut protestatio sit contraria facto. Nam in syllogismo dialectico, aut eotiam, qui à posteriori concludit, medius terminus quidè causat consequentiam, sed non est causa consequentis. In nostro presenti negotio decretum divinum à causatione consequentis non excluditur. Quinto contradictoriè ait, juxta suam sententiam eventum quidem infallibiliter sequi, sed tamen non immediatè à determinatione illa, sed moderante hominis libertate, quam sua determinatione Deus non violat, sed includit & confirmat. Nam sive immediatè, sive mediatè determinatione irrefragibili Dei eventus sequatur, nihilominus necessitas antecedens hoc loco ponitur. Ratio est, quia illa suprema determinatio, quam in causa prima ponit, omnia media penetrat, & invictè suo decreto

*Necessitas  
hypothetica  
non est ex  
antecedentis  
decreti  
absoluti  
hypothesei.*





*Omniem antecedentem absolutam suppositionem necessitatem inferre causis secundis, docetur.*

conformat. Sed & inclusio libertatis in determinatione divina non habet nisi merè passivam subordinationem. Neque enim, quando Deus agentium liberorum sibi subordinat motiones, primum permittit spontaneam determinationem ad hoc vel illud subjectum, sed ipse determinat ad actionem, aut actionis speciem. Deinde illa ipsa libera agentia tantum materialiter, non autem in formali libertatis suæ exercitio constituta, sibi in illa determinatione subordinat. Sextò quamcunque hypothesein sive suppositionem constituat Walæus, si illa sit antecedens, tollitur libertas in inferioribus agentibus. Ejusmodi enim antecedente suppositione, jam per irrefragabile divinum decretum Dei posita, inferioribus agentibus jam denegata & absolutè præcisa est libertas in aliam actionem, aut actionis speciem. Et hoc ipsum est, quod dixit jam olim Anselmus Cantuariensis Episcopus lib. de concordia præscientiæ & liberi auxiliij, & lib. 2. Cur Deus sit homo cap. 17. & 18. necessitatem ex suppositione antecedente tollere libertatem, non autem ex suppositione consequente. Suppositionem enim antecedentem vocat omne id, quod prærequiritur antecedenter, seu ex parte actus primi ad actum liberum: unde hanc suppositionem antecedentem ipse vocat causam rei, & ideò si ex tali suppositione necessariò sequitur effectus, tollitur libertas, de cujus ratione est, ut cum omnibus illis prærequisitis maneat potentia integra ad agendum & non agendum, etiam respectu talium conditionum antecedentium. Suppositionem autem consequentem vocat omnem illam, quæ includit ipsammet actionem creaturæ, quia jam illa supponit usum liberum. Unde necessitas ex illa non potest ipsum liberum usum auferre, quia non est necessitas rei, sed illationis tantum. Conf. Augustinum de Civitate Dei, lib. 5. cap. 10. Septimò, quod concernit exempla S. literarum, & in principio historiam Josephi, nulla antecedens & à suprema causa prædeterminante oriunda necessitas illis actionibus circa Josephum imposita est. Neque enim filij Jacobi ad odia contra ipsum prædeterminati sunt illa, ut non plus eum amare, aut minus eum odisse potuerint, neque mercatores prætereuntes ad illam emtionem acti sunt infallibili motione. Quamvis, si hoc factum esset, postquam  
jam



jama malitia fratrum exegerat è familia fratrem, & ita casibus variis innocentissimus & cœlitus illuminatus Josephus obnoxius fuerat, ut sic patrociniò infereretur meliori, nihil factum fuisset, quod Deum in consortium peccatorum antegressorum trahere posset. Somnia Pharaoni immissa & quæ secuta, ad extraordinariam Dei actionem pertinent, ad quam & Josephus spectat, cum dicit, Deo autore se huc missum esse: spectat nimiram ad missionis œconomiam & terminum; non autem ad missionis ἀντινομίαν & exordium. De Achabi interfectione nihil est, quod moremur. Si vel maximè immediata & necessaria determinatione & motione sagittam egisset in Achabum, justo judicio egisset. Sed id non probaret, antecedente & absoluta voluntate, quæ peccata Achabi antegrederetur, id Deum fecisse. De Cyro pariter exemplum scopo dispar est. Interim Deus ex prævisione moderatus est Cyri liberas determinaciones consiliorum, ut huc & ad bonum Ecclesiæ decurreret. De scientia media, quam nominat Walæus, infra dicendum erit.

Sed eamus porrò obviam Maccovio, qui adhæc infert, §. 37.  
*quod, non omnia, quæ eveniunt, Deum decrevisse, tale dogma sit, cui meritisimè impingi potest, quod religio omnīs per illud & disciplina penitus tollatur. Nam si hoc ita habet, ergo aliquid evenit necessariò, quod à Deo dependet & c.* Dicimus autem Maccovium fallere generali & confusa veræ sententiæ recitatione. Neque enim omninò negamus, circa omnia, quæ eveniunt, occupari decretum divinum. Id verò dicimus, decretum divinum non omnium quæ fiunt, esse causam fiendi, non omnia fieri præmovente & prædeterminante Deo, non esse aliquod absolutum decretum & antecedens, quod certum bonarum actionum malarumque numerum definiiverit, adeò, ut homo non possit plus boni agere, quam agit, & plus mali ommittere, quam omittit. Itaque nihil est, quod non à Deo dependet, si non efficienter, quod ad actiones bonas pertinet, tamen ita, ut facta permissione subsit regimini divino & ab eodem accipiat terminos. Quod verò infert; hoc pacto aliqua evenire Deo invito & nolente, è schola Simonis Magi est, si invitum accipias pro nolitione permissionis. Hoc enim curreret contra supremæ causæ dignitatem & eminentiam, sub qua nihil esse potest



*Locus Ephes.  
4, 30. exponitur.*

test aut deesse, cujus vel existentiam nolit, vel defectum nolit permittere. Si verò invitum sumas pro morali repugnantia, cui scilicet rationibus à bonitatis, sapientiæ & potentiæ divinæ consideratione deductis occurrit sapientissimus idem atque optimus Deus, omninò fatendum est, nolente invitoque Deo aliquid fieri. Atque hoc sub illa phrasi occultatur, qua dicit S. Paulus Eph. 4, 30. nos actionibus repugnantibus legi Dei contristare Spiritum S. At quem locum ita scribit PELICANUS h. l. Comm. *Ea tantum loqui discamus, quæ bonos instaurent mores audientium, alioqui contristabimus Spiritum S. Dei, tum in nobis tum in audientibus habitantem. Studet enim ille unice gloriæ Dei & proximorum adificationi, quare non potest non dejici, ubi non inutilibus modo, sed & noxiis fabulis & tempus teritur & animi audientium profanantur. Certè sentiunt molestiam sancti, quoties ab hujusmodi fabulis ad sese redeunt. Ob signati enim sumus hoc spiritu, ut redemptionem olim consequamur, ab omni peccato liberati. Huc ergò & in hac vita idem nos spiritus agit; quare molestum ei esse oportet, quicquid cum peccato conjunctum est. Et CALVINUS Comm. h. l. Cum Spiritus S. habitet in nobis, omnes tam animæ quam corporis nostri partes illi sacras esse oportet. Quod si nos profituimus ad aliquod inquinamentum, jam illum quasi ex suo hospitio eicimus. Id quo familiarius exprimat, tribuit Spiritui S. humanos affectus, gaudium & tristitiam. Date, inquit, operam, ut Spiritus S. libenter in vobis habitet, ut in domicilio lecto & jocundo: nec ullam tristitiæ materiam illi date. Quidam secus exponunt, quod spiritum Dei contristemus in aliis, dum pios fratres, qui spiritu Dei aguntur, offendimus obsceno sermone vel aliis modis. Nam piæ aures, quicquid pietati adversum est, non modo respuunt, sed, cum tale quid audiunt, gravi dolore vulnerantur. At quod sequitur, ostendit, aliam fuisse mentem Pauli. Quo signati estis, inquit. Quia ergo spiritu suo nos Deus obsignavit, illi sumus molesti, dum non sequimur ejus ductum, sed profanis affectibus nos polluimus. Non potest satis pro dignitate explicari sententiæ hujus gravitas, quod Spiritus S. gaudet atque hilaris est in nobis, dum illi nos morigeros per omnia præbemus, nihil cogitamus, aut loquimur, nisi purum & sincerum; quod rursus afficitur mœrore, quoties aliquid vocatione nostra indignum admittimus. Nunc reputet apud se quisque, quam horrida sit impietas, spiritum Deum pungere ea tristitia, ut à nobis tandem discedere cogatur.*

JOHAN-



JOHANNES CHRYSOSTOMUS hom. XIV. ad h. cap. 4. locum ait: Φεικωδέστερον κὶ φοβερώτερον τῆτο, ὅπερ κὶ ἐν τῇ πρὸς Θεσσαλονικέας ἐπιστολῇ φησὶ καὶ ἐκεῖ γὰρ τὶ τοιοῦτον λέγει; ὁ γὰρ ἀθετῶν, ἐκ ἀνθρώπου ἀθετῆ, ἀλλὰ τὸ θεόν: ἔτω καὶ ἐνταῦθα αὐτῷ εἴπῃς ὑβριστικὸν ῥῆμα, αὐτὸν πλήξῃς τὸν ἀδελφόν, ἐκ ἐκείνου ἐπληξῃς, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα ἐλύπησας. *Horribilius & terribilius hoc, quod quidem etiam dicit in Epistola ad Thes-salonicenses; Illic enim quoque tale aliquid dicit: Nam qui spernit, non hominem spernit, sed Deum. Ita hic quoque; si verbum dixeris contumeliosum, si fratrem percusseris, non hominem percussisti, sed Spiritum S. affecisti tristitia. hęc ille, qui in elegantissimo ἠθικῶ ἡθικῶ ἡθικῶ hęc omnia fusius persequitur. At quomodo hęc λύπη Spiritui S. θεοπροπῶς attribui potest, si non fit invito & nolente Spiritu sancto, quicquid illius contristationis causa est? Imò quomodo Spiritus S. contristari potest, quod non magis à peccatis contra conscientiam abstineatur, aut plus proficiatur in pietatis exercitio, si ille antecedente omnem humanæ mentis agitationem & cogitationem decreto definivit, & in tempore præmovet & prædeterminat, ne prius aut posterius, plus aut minus, melius aut deterius fiat, quam fit?*

Non ergò cum analogia fidei & principiis theologis consentit, si dicamus, Deum velle mala esse, & velle mala fieri. Esse enim *malum & fieri malum* non minus repugnant voluntati divinæ, quam ipsum malum. Unde iisdem rationibus ostendi potest, esse malum & fieri malum non posse objici voluntati divinæ, quibus malum ipsum voluntati summæ objici non posse, supra §. 6. Triglandi, ostendisti. Nam fieri malum culpæ, est malum culpæ. Omnis enim actio & motus sive passio, sortitur rationem & specificationem ex termino. Mala fieri verò resonat actionem seu motum & passionem tendentem ad mala, tanquam ad terminum. Quapropter mala fieri, malum culpæ est. Sanè peccati malitia fundatur & in actione sub ratione actionis, & quidem potius, quam in formali ratione termini producti. Atque ideo, cum mala fiunt à voluntate creata, expressissimè & directissimè divinæ rectitudini repugnantur. Unde malum culpæ non potest Deus velle fieri. Qui enim vult antecedens per se ordinatum ad consequens, quod inde necessariò sequitur, ille etiam vult conse-

§. 38.

*An dici possit, Deum velle mala fieri?*

X

quens.



quens. Fieri malum est antecedens per se ordinatum ad malum, quod inde necessariò sequitur. Non potest igitur non velle malum, qui vult fieri malum. Et si Deus vellet fieri mala, vellet omninò consequenter, à voluntate creata mala eligi. Quomodo enim aliter fieri possunt mala, quam electione libera? Quod si concedatur, sequetur irrefragabiliter, voluntatem creatam, dum applicatur ad optionem & operationem malorum, non peccare. Quomodo enim peccare potest voluntas creata, dum se summæ voluntati, quæ omnibus immensæ & supremæ legis instar est, conformat. Est sanè hæc conformitas in volito formali, adeoque perfectam harmoniam constituit inter voluntates hoc modo concurrentes. Potestque voluntas, si res ita se habet, ut Deus velit fieri mala, & non plura bona fieri, & non minora mala fieri, sine ulla veritatis & voluntatis supremæ læsione dicere: Volo, quod Deus vult me velle, & propterea volo, quia Deus vult me velle, cujus voluntati peremptoriæ nemo potest resistere, & ex suppositione ista volo, quod Deus vult me velle. Hinc primum Augustinus lib. 3. de L. A. cap. 16. Prosper ad Vinc. object. 4. Nyssenus orat. Catech. cap. 5. circa fin. & de vita Mosis circa med. Clem. Alexandr. Stromat. 4. med. Tertull. in exh. ad cast. cap. 1. constanter urgent, liberari à culpa voluntatem creatam, si Deus voluit, ut creata voluntas eligeret mala, si voluit fieri mala. Et Fulgentius urget lib. 1. ad Monimum frequenter, in primis cap. 5. 13. 19. 22. Deum injustè puniturum peccata, si vellet ea fieri à voluntate creata. Unde porro sequitur, Deum non solum non posse velle, ut voluntas creata committat actum malum, sed etiam non posse velle, ut omittat actum bonum, quando ex circumstantiarum requisito ad hoc & nunc obligat, quia hoc est peccatum omissionis. Quamvis autem peccata non fiant Deo volente, adeoque neque ipsum fieri peccatorum Deus velle, propter infinitam suam perfectionem, possit, non tamen idcirco vel necessitati subjacet, vel invitus subjacet. Quia illud ipsum fieri peccatorum nunquam non subjacet Deo, licet deordinetur à voluntate superiori: neque necessitas est aliqua peccandi, nisi quam homines sponte sibi attraxerunt, & illa necessitas à fine ultimo non arcet Deum, qui etiam inter ipsas peccatorum difficultates

grassa,



graffatur ad perfectionem, & id obtinet, quod ultimè voluit. Unde neq; providentia læditur, etiam si fiat aliquid Deo non volente. Hoc ipsum enim ad perfectionem providentiæ summi entis pertinet, ut etiam repugnantia voluntati suæ, sub permissione Dei liberè è causis inferioribus emergentia, sibi tamen subigat, & per accidens ad bonum summum & universi dirigat. Nec periclitatur omnipotentia, quia liberrimè suam vim eo usque dispensare non vult, ut simpliciter avertantur omnia mala. Non denique beatitudo divina turbatur & sempiterna illa tranquillitas, quia non cogitur pati evenire, id quod non vult, sed liberrimè permittit, & id quod permittit in sua habet potestate, & ex permissis infinita sapientia elicit, in quo suavissimè æternum conquiescit, de quo superius latè differuimus.

Ad V. omninò tollitur religionis cura & pietatis studium re ipsa (quicquid sit de operatione hominis, sæpe aliter ac falsorum principiorum impressiones exigunt, in progressibus suis sese exhibentis) si omnia necessariò fiunt respectu decreti divini antecedentis. Hoc enim finem & media & omnes modos ac mediæ connexiones penetrat, ut Walæus loquitur, vi irresistibili & ad individuum actionum & circumstantiarum omnia determinante. Quos per Jeremiam alloquitur Deus, quod inditurus sit animis ipsorum, ut non recedant à Jehova, illi non sunt absoluta & prædeterminante Dei operatione ita gubernati, ut irresistibiliter inditionem virium ad non recedendum à Jehova habeant & possideant. Promissio est, quam Jeremias c. 32, 40. nomine Jehovæ denunciat, quæ non excludit ordinem, nec hoc innuit, ea intensione virtutis divinæ, cujus efficaciam nemo frustrare possit; Deum illam inditionem operaturum. Certè promissiones beneficium ordinem divinum, promptitudinem immensæ bonitatis, porrectam & paratam manus divinæ largitatem insinuant, quæ paratissima est ad omne pietatis elogium evehere & determinare malitiosè non resistentes, ad quod seipfos determinare nequeunt. At iste ordo seriò ex Dei intentione communicabilis sæpissimè repellitur. Huc etiam pertinet a motio cordis lapidei & carnei cordis datio, quæ non sunt absoluta &

§. 39.

*Decretum  
de actibus  
hominis antecedens  
tollit religionis curam.*



irresistibili vi. Sed de eo in materia de gratia, Dei volente, sermocerinabimur.

§. 40.  
An Deus  
non amet  
justitiam,  
quam ho-  
mines non  
faciunt?

Ad VI. falsum est, Deum non amare justitiam, quam homines non faciunt. Amare nequit sub ratione existentia; hæc enim malitiosa hominum repugnantia intervertitur. Amat tamen ut possibilem, ut ad gloriam suam ordinabilem, ut potentia suæ & sapientia & gratia futuram documentum, ut Ecclesie debitum ornamentum; ut proximo dispensabile bonum; ut opus infinita misericordia coronabile. Et quidem primò amore simplici complacentia. Scholasticorum veterum, quidem nonnullorum ista fuit sententia, Deum possibilem, quæ nunquam futura sunt, nullo respectu amare. Inde consequenter illi asseruerunt, Deum justitiam & obœdientiam merè possibilem nullo respectu amare. Sed hi gravissimis rationibus jam dudum in propria schola confutati sunt: 1. quia quælibet bonitas secundum se placere potest voluntati, ita ut simplici quodam amore erga illam afficiatur. Quævis enim potentia perfectissima potest versari circa quamcunque rem, quæ participet communem rationem sui objecti: sicut perfectissimus visus potest versari circa omne visibile: proinde & perfectissima voluntas circa omne bonum. In apprehensione verò essentia creabilis, etiam præscindendo ab actuali existentia, omninò est bonitas. Illa imago creaturae possibilis objicit intellectui divino veritatem, voluntati divinae bonitatem. 2. quia aliqua bonitas & justitia possibilis, quam nondum ut futuram cognovit & intuitus est Deus, sed ut possibilem sibi proposuerat, tantæ sufficientia objectum fuit respectu voluntatis divinae, ut eam amaverit amore efficaci; hoc est, qui decernat de danda existentia & productione ejus. Ea fuit justitia, ex gr. Adami originalis. Objiciebatur illa bonitas & justitia divinae voluntati, ut possibilis. In eam verò ita ferebatur voluntas divina, ut sepositis omnibus aliis ornamentorum spiritualium modis hanc justitiam amaverit Deus, adeoque in eam collocare Adamum ab æterno decreverit. Bonitas sanè cognosci ut futura non potest, nisi supposita voluntate efficaci producendi illam. Ideoque priusquam supponatur efficax de-

cre-



eretum producendi bonitatem illam, non proponitur ab intellectu, quasi futura bonitas. Priusquam autem voluntas divina efficaciter decernat rem aliquam producere, necessariò prærequiritur cognitio proponens illius bonitatem. Nondum autem proponitur ut futura: Ergo ut possibilis. Si verò amore efficaci aliqua possibilis bonitas & iustitia à divina voluntate comprehenditur, quanto magis amore complacentiæ comprehenditur, ex quo liberè amor efficax oritur. 3. *quia* etiam creatæ voluntati per simplicem complacentiamabilia multa placent, quæ possemus efficaciter producere, sed nolumus. Hæc enim est perfectio amoris nostri, cum sit abstractio quædam & independentia à rerum existentia futura, ut in eis complaceat. Cur ergo divinæ voluntati non poterunt placere objectaabilia, quæ potest & non vult producere? 4. *quia* ut intellectus divinus approbat omnem veritatem possibilem, & in eius contemplatione simplicis intelligentiæ acquiescit, ita ratio nulla est, cur non etiam voluntas divina amet, approbetq; omnem bonitatem possibilem, & in eius comprehensione simplici complacentia conquiescat? 5. *quia* Deus non amaret suam bonitatem comprensivè, hoc est, amore adæquate omni ex parte amabilitatem Dei, nisi amaret omnem bonitatem etiam possibilem. Sicut enim Deus suam veritatem non cognosceret comprensivè, nisi omniaabilia intelligeret, sic etiam non amaret suam bonitatem perfectè, nisi amaret omnem bonitatem possibilem. Amat utique Deus opt. maximam suam infinitam & nunquam exhauriendam communicabilitatem ad extra. Illa autem sese extendit non duntaxat ad bonitatem existentium, sed etiam ad bonitatem possibilem. Amat enim Deus tantam bonitatis suæ perfectionem, quantâ non præteritis, præsentibus & futuris duntaxat se communicavit, verum etiam infinitis possibilem, quæ mens divina comprehendit, communicari possit. Amat ergo illa, ut possibilem suæ bonitatis expressiones. Posito omninò quod ames artificis artem, placeat tibi oportet artificium, quod ille potest fabricare. 6. *quia* nec ex parte objecti voluntatis divinæ, nec ex parte ipsius voluntatis divinæ reperitur sufficiens repugnantia, contra simplicem complacentiæ amorem erga bonita-



nitatem & justitiam possibilem. Quod enim dicitur, bonitatem justitiamque possibilem neque *ut finem*, neque *ut medium* posse amari, quia in nulla temporis differentia existit, reponimus, eam omnino posse amari *ut medium*, & ita Deum amare amore simplicis complacentiæ bonitatem justitiamque possibilem, tanquam cujus intuitus subservire potest ad ostendendam attributorum suorum infinitam perfectionem subordinatosque fines alios. Placet omnino Deo, sibi suppetere infinita media possiblem, neque ulla eum mediolorum premi inopia. Quod dicitur, *intellectum quidem posse versari circa rei quidditatem & præscindere ab ejus actuali existentia: voluntatem verò semper tendere in bonum sub ordine ad actuale esse, quia bonum est in rebus*; reponimus, esse in rebus non tantum actualiter existentibus, sed etiam possiblem & objectis. Omnino enim placet illa possiblem pulchritudo, in hac illave re emergence & exitura, si decretum productionis accederet. Quod dicitur, *divinam bonitatem independentem esse à creaturis, ideoque Deum in illius amore posse fisci etiam nullo complacentiæ affectu erga creaturas posito*: Reponimus, & divinam veritatem esse independentem, nihilominus sine creaturarum etiam possiblem veritatibus non posse per divinam scientiam comprehendere. Sic ergo & divina bonitas, etiam si à creaturis non dependeat, non potest planè & plenè per amorem comprehendere, nisi incluso amore creaturarum. Quod dicitur, *non posse amare Deum possiblem, quæ nunquam futura sunt, quia adversus illa fertur summo odio: hoc enim esse & elucere in eo, quod Deus non solum nolit, ut existant in rerum natura, sed etiam nolit adhibere aliquam causam, cujus virtute potuissent existere*: reponimus, non esse ex odio & repugnantia quadam profectum, quod infinita possiblem Deus noluerit existere, neque causam adhibere, ut existerent, sed ex summa libertate Dei, quæ placuit, Deo inter amata infinita possiblem horum existentiam decernere, aliorum existentiam non: quæ item his causas ordinavit, ut existerent, illis non, *Sed vide illam sententiam confutatam in schola apud Vasquez, Valentianum, Arriagam, imprimis Did. Ruitzium de Montoja, de voluntate Dei, disput. 6. sect. 1. 2. & 3.*

§. 41.

Deus justitiam iudi-

Amat deinde Deus justitiam, quam homines non faciunt, amore prosecutionis & concupiscentiæ, ut schola vetus loquitur, i. quia præ-



præcepta de illa justitia gravissima sanctissimaque dedit & sufficienter promulgavit. 2. quia promissionibus coronationis pulcherrimæ & uberrimæ illam quasi desideratam à se provocat & prosequitur. 3. quia imminutionem & omissionem ejus, aut ei oppositam injustitiam extremè odit: 4. quia tanquam suum debitum ab hominibus repetit, & quasi damnatum sit illatum, restitutionem requirit: 5. quia ob contemptum illius tanquam sibi dilectissimæ homines gravissimè punit: 6. quia est in semine spiritus S. & à malitia crescente hominum suffocatur, uti parabola Matth. 13. insinuat. 7. quia per infinitam satisfactionem & justitiam Jesu Christi sibi repræsentari voluit. Taceo plures rationes alias, alibi exponendas.

Itaque differentia est inter justitiam, quam homines non faciunt, & inter bonitatem merorum possibilium. De merè possibilium bonitate Deus nihil ordinavit, nihil mandavit, nihil exposuit, sed eam in simplici possibilitate reliquit: de justitia autem, quam homines non faciunt, operosus fuit & actuosus, ut sic dicam, Deus, nec intermisit, quicquid congruum erat facere & ordinatum, ut non faceret. Fecit ad ejus productionem & existentiam, quicquid voluit facere. Seminavit, plantavit, rigavit, augmenta suppeditavit. Matth. 13. Dedit talenta Matt. 25. & c. Noluit eam producere operatione absolutâ, ut Solem & stellas, terram & arbores, plantasque, sed ordinata. Itaque vetus cantilena Maccovij malè concinnata est; cum ait: *Si illam amaret, si illa delectaretur, etiam eam efficeret.* Amat omninò illam, delectatur illius pulchritudine & ornatu Deus, ideò illam tanto provocavit apparatu semper, *ὡς ἡ γέλλων τοῖς ἀνθρώποις ὡς ἰστανταχὲ μέλανοειν*, Act. 17, 30. invitat ad eam & extendit, Proverb. 1, 24. ad ejus complexum manus auxiliatrices. Est hic non amor concupiscentia solum erga justitiæ pulchritudinem, sed etiam amor amicitie subest, quo ejus intuitu bene cupit fidelibus, ut in ea fulgeant & coronentur. Non amat autem eam, nec delectatur ea, ut prædeterminatione absoluta producendam, sed ut in certo seminationis spiritualis ordine eliciendam. Audax autem & effrenis insolentia est Maccovij, cum ait; *Et quomodo queso illa delectaretur, cujus contrarium decrevit permittere?* Sic Deus nec seipso delectare-

tur;

*Etiam non præstatam, amorem prosecutionis?*

§. 41.

*Differentia inter præceptam justitiam & mera possibilium.*



tur, quia malum sibi contrarium decrevit permittere. Sic nec delectaretur sanctissimis angelorum exercitibus, quibus malum, quod decrevit permittere, extremè adversatur. Sic Deus nec merito & obœdientia filij sui unigeniti delectaretur, cui malum decreto divino permillum gravissimè contrariatur. Esa. 43. & 53. Sic nec delectaretur lege sua sanctissima perfectissimaque Deus, qui tamen est perfectionis divinæ ectypus, quia illi repugnat peccatum, quod Deus decrevit permittere. Imò in univèrsum nec verbo suo delectaretur Deus, quia peccatum permittit, cui destruendo & excludendo peccatum ordinatum & destinatum est. Nimirum quia delectatio Dei super justitia illa inhæret certo ordini à Deo constituto, cui annexa est nullo modo necessitans permissio contrarij, ideoque cum permissione consistere potest delectatio de eo, quod ex illo ordine emergere potest. Placet sanè Deo, ut simus sine omni peccato. Sed non, ut absoluta Dei potentia in via positi illicò transmutemur, & ἀναμάστιτοι constituiamur. Si non placeret, nos esse sine omni peccato, non indueret nobis Jesum Christum, ut illius infinita perfectissimaque justitia tegamur, adedque coram ipso ἀμωμοι reddamur. Non etiam placeret ipsi quotidiana & successiva destructio corporis peccati. Placere ipsi peccatum in se nunquam potest. Hoc agit mediis divinitus ordinatis, ut simus ab illo hoste liberi. Quamvis nos, qui in Jesu Christo sumus, non damnat, Rom. 8, 1. onerat tamen Rom. 7, 14. Ut igitur peccatum Deo placeat, aut placeat, quod nos sumus in peccato, nunquam cum summa sanctitate Dei conciliari potest. Potest tamen concordari, ut permittamur aliquandiu hære in illo onere.

§. 43. Sed superest, ut etiam reliqua M A C C O V I I ad causam periculofam accersita subsidia dispiciamus. Ait pag. 415. *Homo in statu integritatis non potuit uti potentia, quæ in ipso fuit ad perfectè obœdiendum Deo, absque Deo & eius auxilio. Quomodo ergo homo regenitus, in quo potentia ad bona opera edenda sit imperfecta, poterit uti potentia hac absque Deo & voluntate ejus. Consequentia per se clara. Minor probata est in proximè antecedentibus. Rursus homines irrogeniti non possunt hoc præstare, ad quod potentiam habent, absque auxilio Dei & voluntate ejus. vide inter alia de Assur, Esa. 10. v. 15. Ergo nec regeniti possunt*



possunt uti potentia ad bene operandum præter & extra voluntatem Dei. Consequentia certa est. Nam utrobique eadem est ratio. Porro homines potentia ad opera civilia præstanda uti non possunt absque auxilio Dei. Ergo nec homines regeniti possunt potentia uti, quam habent ad bene operandum, absque auxilio eius. Antecedens clarum est Psal. 117, 1. 2. Ratio consequentia, quia eadem ratio utrobique. De similibus autem idem est iudicium. Et hinc Spiritus S. Jacobi cap. 4. de itione ad mercatum non vult dici, IBO, simpliciter, sed ibo si Deus voluerit. At quanto magis hoc usurpandum fuerit de operibus moralibus ab homine regenito præstandis. Et certè remita habere ipse conscientia sensus, qui hac in parte acerrimus est, testatur. Quoties enim speramus nos aliquid paulo rectius facturos, tacita animi cogitatione adjicimus, si velit Deus. Quasi nil à nobis possit rectè fieri, nisi Deus ad sit, presente autem Deo, certo quodam modo nil possit fieri pravè. Contra verò si metuimus, ne quid perperam faciamus, statuimus omninò id eventurum, ni prohibeat Deus. Vnde oritur studium & ardor precandi, ne Deus nos inducat in tentationem. Neque verò hoc pacto aliud, quam vel pravitatem, vel imbecillitatem nostram agnoscimus; Dei verò potentiam, bonitatem, sapientiam, qua sola sustentamur, prædicamus. Sanè in pietate tantum possumus, quantum Deus, ut possumus, largitur: largitur autem, quantum decrevit. Deus est, inquit Apost. Phil. 2, 13. qui facit in nobis velle & perficere, *ὁ θεὸς τῆς ἐξουσίας*. Probamus porro in hoc sensu, quo ante diximus, hominem regenitum non posse plus boni facere, quam facit, & omittere plus mali, quam omittit, quia Deus, in quo peccat homo, ipsum peccare permittit. Ratio istius est, quia permissionem peccati necessario sequitur peccatum. Nam aut futuritionem peccati præcessit Dei permissio nature ordine, aut verò secuta sit. Si præcessit, res futura non erat, nisi Deus eam permisisset. Si secuta, ridicula iam permissio est, qua res seu velis, seu nolis, futura permittitur, quasi quis permetteret circumagi cælum, aut flare ventum. Præclare de tota hac re Tvissius in respons. ad Arminij probationem: Robur habituale, inquit, conceditur in regeneratione; quo fit, ut plus minus feramur in illud, quod bonum & acceptum Deo comperiatur. Iterum dico, ex habituali gratia sive robore spiritus fit volitio boni veri in genere, sive in bono complacentia, sive inclinatio ad bonum, simulque propositum abstinendi à malo, sed (propter carnem adversus spiritum concupiscentem) conjuncta cum naturali propensione ad malum. At robur

Y actua-



actuale sive gratia actualis confert volitionem boni propositi in specie seu potius in individuo, simulque aversionem mali conjuncti prorsus efficacem hinc fit, ut non modo velimus, sed & faciamus, quod bonum est & acceptum Deo, idque quæ tale. At si quando accedit tentatio ad malum, quæ carnem excitet & proritet, simulque suspendatur roboris illius actualis subministratio, quid fiet etiam Davidi, aut Petro, aut Salomoni? An aliud expectandum, quam ut in peccata ruant, eaque pro nativis rerum occasionibus etiam atrocissimas, sive in adulterium, sive in homicidium, sive in idololatriam, sive in Domini sui foedissimam abnegationem? Et ita disputavimus contra sententiam istam adversariorum, quam concipiunt indefinitè ratione status hominum. Iam paucis contra ipsum agemus, quatenus illam proponunt indefinitè ratione mensuræ sive gradus. Querunt nempe, An homo plus boni possit facere, quam facit, aut plus mali omittere, quam omittit? Poterit ergo usque eò progredi hoc pacto, ut quod lex requirit, perfectè præstare possit, contra ac toties testatur scriptura. Imo quia propositiones hæc sine ullo termino & sine proponuntur, poterit talis ultra progredi, & etiam opera, quæ Pontificij urgent, supererogatoria præstare. Caterum nostra sententia defenditur à Magnis Viris & bene de Ecclesia Dei meritis. Camero contra Tilenum pag. 302. Ex eo, quod dixi fieri nulla ratione posse, ut eorum Deus sit præsciens, quæ nec facere, nec permittere decreverit, ait sequi, hominem nec plus boni facere, quam facit, nec plus mali omittere, quam omittit. Ego verò lubens agnosco, multa esse, quæ dicta simpliciter offensionem pariunt, & quidem jure, quæ eadem, si adjecta hypothese dicantur, ejusmodi sunt, ut nemo audeat contradicere. Exempli gratia, si quis dixerit, Pharaonem non posse dimittere populum Dei, statim omnium aures offendit: idem si adjiciat, ni Deus impij cor hominis emolliat, non autem constituit & decrevit id Deus facere: non est igitur futurum, neque verò poterit fieri, ut populum Dei dimittat, neminem jam oratio offendit. PISCATOR contra Vorstium in resp. ad amicam duplicationem p. 175. Nemo plus potest boni facere, quam facit, nec plus mali omittere, quam omittit, respectu decreti divini, non autem respectu naturæ rerum, hoc est, naturalis potentia, tum passivæ in homine, tum activæ in Deo, cum homo sic à Deo agi possit, ut plus



plus boni faciat, quam re ipsa facit, & plus mali omittat, quam re ipsa omittit. Sic Maccovius.

Ad 1. probat tantum, hominem regnitum absque Deo & eius auxilio nihil posse agere, nec absque voluntate superiori uti sibi data potentia. Id verò in controversiam à nobis non vocatur: sed illud disquiritur, an concursus divinus sit ex seipso prædeterminatus & prædeterminans causam inferiorem liberam ad hoc duntaxat individuum actionis & ejus circumstantias, adeò ut sub illo concursu non liceat aliter agere, aut non agere, aut melius agere? An verò Deus antecedente benefica suæ voluntatis largitate ita concursum suum, & quicquid adfert cœlestium præsidiorum gratiosa præsentia, ita dispenset, ut regnitus plus sub illo & ex illo & per illum provehi in adscensu mentis ad Deum queat, minusque à desiderio eorum, quæ sursum sunt exerrare? Hic posteriorem amplectimur sententiam repudiata priori: I. quia posita prima sententia tota causa defectus & progressus in actionibus quibuscunque reducitur in Deum, quo non movente causa inferior moveri nequit; quo antecederet determinante, specificante, limitante, suspendente actionem neque regredi, neque progredi actio potest, & ita non entitas actionis duntaxat, sed etiam qualitas & omnes circumstantiæ, ipsaque adeò malitia sive cõmissionis sive omissionis ad Deum autorem pertinet. Posterior malum tanquam deficiens à Deo removet. II. quia posita prima sententia libertas tollitur utraq; , tam contrarietatis, quam contradictionis, hoc est, homo non potest in objectis eligibilibus eligere hoc, illud repudiare, neque potest velle agere, vel non agere: quia in ipsa radice libertatis jam hæret suprema divina prædeterminatio, quæ & ad velle restringit hoc, non aliud, ad agere vel non agere limitat, ad taliter & tantum agere & non aliter specificat. Posterior libertatem relinquit. III. quia prima sententia regnitum semper passivè duntaxat sese habere, nunquam activè, supponit. Hucusque nostri docuerunt, discrimen faciendum esse inter conversionem & regenerationem, in qua homo merè passivè sese habeat & nullo modo ex suis viribus concurrere possit, utpote amissis & perditis; & inter statum hominis post conversionem, ubi



jam in intellectu & voluntate novus est donatus viribus & libertate aliqua prædus: in quo jam aliqua sit ipsius activitas & ad concursum cum Deo facultas cœlitus obtenta. Si autem in quamvis actionem, in quodvis momentum, in quemvis gradum, in quamvis vel intensiorem vel remissionem actionis irresistibili prædeterminatione incumbit prima causa, quomodo aliter quæ passivè ipsa etiam facultas agendi sese habebit? Non enim minus progressus conversi, quam initium conversionis erit à prædeterminante Deo. Posterior discrimen stabilit. IV. quia prima sententia comminationem divinam paradisiacam convellit.

*Locus. Gen. 2, 17. expenditur.* Quocunque die comederis de arbore vetita, morte morieris, inquit Iehova. Interdictum est: De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas.

Sensus comminationis divinæ erit secundum primam sententiam hic: Quocunque die ego prædeterminante concursu meo atque auxilio, quo hæctenus te conservo in perseverantia, non amplius te sustentavero, atque adeo non amplius restrinxero ad abstinentiam à comestione fructuum arboris vetitæ, infallibiliter comedes & morte morieris. Qualis hæc comminatio, quæ in comminantem conjicit originem ejus, cui comminatio est opposita? Comminator Deus fingitur in hac sententia prius fregisse ordinem, quo facta non potuit non sequi ruina ejus, qui tamen comminatione ista ad observantiam ordinis & cautionem ruinæ excitatur. Perinde enim est, ac si quis aliquem in pontem collocaret, & comminaretur, quocunque die cecideris è ponte in profundum, morte morieris, ille verò subtus vel juga pontis & laquearia subverteret, vel ad illud usque præcipitium deduceret, insuperabili manu sustentatum, in quo, nisi sustentetur amplius, certissima ruina futura est, nonne causa lapsus in comminantem redundabit? Interdicti eadem ratio est: De fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas. Sensus est: ego condidi te hominem, iis dotibus, quibus intellectus & voluntas tua imaginem meam habet. Illis quousque utaris, vel non utaris, à meo decreto prædefiniente & concursu prædeterminante pendeat. Cave autem de fructu arboris scientiæ boni & mali ne comedas: ego quidem aliquandiu ita auxilio meo intellectum tuum illuminabo & lumen tibi con-

crea-



creatum excitabo, voluntatemque tuam gubernabo, eique infitam justitiam & reverentiam mei fovebo, ut non audere vel possis vel velis quicquam contradictorium mihi, neque contrectaturus sis aliquid, quod ne contrectes imperavi. Idque absoluto decreto meo aliquousque continuabo. Fixi tamen in eodem decreto terminum, imò punctum constitui, in quo desinam dicto modo cum intellectu voluntateque tua concurrere, ubi necessariorum comedes de fructu arboris scientiæ boni & mali. Tu autem annitere, ne comedas. Hoc est, nitere contra decretum, calciatra contra stimulum. Atqui, qui vult continuationem abstinentiæ à fructibus arboris vetitæ, is etiam debet velle illum concursus ordinem, quo solo continuatio obtineri potest, aut, si ipse prius subtrahit id, quo maximè nititur ordo, non potest punire propter intermissionem continuationis eum, qui non est autor violati ordinis. Quomodo qui supremæ suæ potestatis usu alicui absolutè & infallibiliter pedes amputaturus est, non potest illi diutius mandare ambulationem rectam, quam pedes relinquere decrevit, neque punire, quod non ambulet rectè, postquam pedes amputavit. Omnium prudentum consensu mandatum de ambulatione recta non obligat amplius, sed expirat, postquam illi, cui mandatum propositum est, pedes resecti sunt. Nam ad ordinem ambulationis rectæ pertinent pedes. Aut sicut, qui sub comminatione atrocissimarum pœnarum obstringit aliquem ad legendum privilegium regni, decrevit tamen aliquo temporis momento & lumen omne subducere, & spiritum animale, qui in nervos opticos illabatur, eximere, idque invictè & irrefragabiliter, ille, quanquam non potest amplius legere, cui minæ illæ denunciatae sunt, quia & externo & interno privatus est auxilio, nequaquam adversus eum rectè exequi poterit pœnarum indictarum atrocitatem, quia id, quod ad ordinis integritatem necessarium est, ipse primus subtrahit. Omnium prudentem consensu decretum de legendo expiravit, cum ille lumen subtrahit & spiritus interclusit vitales. Et si autor ejus ulterius urgeret ad officium legendi, pro tyranno haberetur. Eo certè modo prima sententia Deum nobis sistit, & ita interdictum minasque ejus paradisiacas violat. Posterior autem





sententia vim illarum intactam relinquit, quæ ponit Deum nihil subtraxisse Adamo antecedenter, nec perseverantiam in statu integritatis absoluto intercidisse decreto, sed præter concreta dona, conservasse auxilium, concursum, præsentiamque suam Adamo sine remissione, stante verò illa atque ad efficaciam conservationis operante, Adami voluntatem resiliisse permittente Deo, quia intensiorem auxilij concurrentis gradum, ad quem Deus non erat obligatus, non dispensavit, & jam ad eum repugnantia gradum sponte Adamus processit, quem ordinarius concursus reprimere non potuit, non suo quodam defectu, sed quia Adam aliquid de ordine cœlitus constituto subtraxit. Hac enim subtractione posita, jam concursus divinus desit, qui ad ordinem erat obligatus. Sic igitur ordinis dissipatio non à Deo incepit, sed ab Adamo. V. Quia prima sententia ordinem derelictionis divinæ in S. literis nobis expositum in universum invertit. Ordo exponitur 1. Sam. 15, 25. *Quia sprevisi verbum Iehovæ sprevit similiter te.* Ose. 4, 6. *quia tu scientiam sprevisi, spernam quoque te.* Esa. 30, 12. Ita ait sanctus Israël, *quandoquidem spernitis verbum hoc, confiditis autem fraudi & praefractæ vitæ, ac innitimini eâ, idcirco erit nobis iniquitas ista similis rupturæ cadentis muri, quæ ventrem faciebat in muro edito, cujus repente momento advenit fractura.* Jerem. 6, 19. *desertio divina & eamsecutæ pœnæ vocantur fructus cogitationum Iudeorum, quia ad verba Iehovæ non attenderunt & legem ejus spreverunt, sive deseruerunt.* Jerem. 31, 37. *Ego spernam totum semen Israël propter omnia quæ fecerunt, dictum Iehovæ.* Hiob. 8, 20. *Deus non spernit, aut deserit integrum.* Et cap. 36, 7. *Deus non subtrahit à justo oculos suos.* Et sic Levit. 26, 11. *non fastidiet anima mea vos, vers. 12. indefinenter ambulabo inter vos, ac ero vobis Deus &c. sed vers. 14. si non auscultabitis mihi, neque facietis omnia mandata mea &c. v. 17. opponam faciem meam iratam vobis &c.* Benè CONR. PELICANUS ad Os. 4. h. l. *Quidni ergo abiciatur à Domino & contemnatur, quæ verbum Domini abjecit, blasphemat, ac abominatur? Ut posthac non solum non sit gens sancta, sacerdotalis populus & regale sacerdotium, ex cunctis electus populus velus peculiaris Deo, Et sicut obliti estis & sprevisi legem Domini Dei vestri, sic ego vestri obliviscor, & non solum vestri, sed filiorum quoque vestrorum non memor ero amplius, & in hunc, quem nunc statum tenetis, nunquam resti-*

*Desertio ab  
homine in-  
cipit.*



*restituemini, nunquam. Qui enim ignorat, ignorabitur.* Conf. JOHANN. COCCEIUM Comment. ad Job 36, 7. qui ait: *Deum in-justorum salutem vigilantissime exsubare & ne ad minimum quidem momentum ab illis oculos abstrahere &c.* Et ratio ordinis divinæ derelictionis hæc est, quoniam ea est actus non solius liberrimæ divinæ potentia, sed justitiæ. Ante ordinem rerum constitutum quidem liberrimum erat Deo, aliter ex omnipotentia & omniscientia beneplacito eundem constituere. Post constitutum eundem ordinem, in quo insuper imaginem summæ suæ bonitatis & justitiæ cum creaturis communicatæ expressit & lucere voluit, jam agit secundum ordinem. Ipse itaque ex liberrima tali dispositione ordinis servat ordinem, & perseverat in dispensatione eorum, quæ ordini ex bonitate & sapientia ipse conferre debet. Unde ex justitiæ jam lege non deserit, nisi deserentem, ita ut desertio ex parte hominis naturæ ordine omnino prior esse debeat, posterior autem desertio ex parte Dei, quia id, quod causam pœnæ dat, prius est ipsa pœna, & quod rationem pœnæ habet, sequitur ordine. Atqui si antegrediente & prædeterminante decreto Deus dicatur subtrahere suum auxilium concurrens, & ita ordinem divinitus à se constitutum deserere, justitiæ & bonitatis divinæ imago subvertetur. Plures rationes inferius exponemus.

Ad II. pariter non probat id, quod probandum est. Probandum est, *voluntatem & auxilium prædeterminans tam irrogenitorum, quam regenitorum potentias in omnibus actionibus ad entitatem & speciem actionis prælimitare.* Hoc non probatur illa collatione usus potentia regenitorum & irrogenitorum. Nam quod ad irregenos pertinet, illi quidem absque voluntate & auxilio Dei potentia sua uti non possunt ad omne id, ad quod potentiam habent. Non tamen semper id facit Dei voluntas præcurrendo & prædeterminando, sed concurrendo & suum auxilium ad libertatis exercitium dispensando. Factum est quidem nonnunquam in maximi momenti operibus, ut etiam non regenitorum hominum potentias antegrediente quodam motu determinaverit, præmoverit, & prælimitaverit, ad quæ neq; potuissent illæ potentia seipsas sine illo extraordinario divino motu determinare, neque unquam perventuræ fuissent; attamen ad opera civilia & mora-



moralia extrinseca, ad quæ libertas aliqua etiam in irrogenitis superest, non opus est singulari specificante & limitante voluntatis divinæ auxilio, sed ille concursus cum potentia humana sufficiens est, qui omnibus & singulis hominibus ad naturæ rationalis proportionem ordinatus est. Unde etiam posito illo concursu potest irrogenitus agere & non agere: imò potest aliter agere, quam concursus dispensatus intendit: re ipsa agit contra intentionem concursus divini & concurrentis Dei, quoties actioni ex concursu divino profluenti inducit malitiam, eamque foedat: potest plus agere boni virtute concursus dispensata, quam agit: potest minus mali eadem virtute agere, quam agit.

§. 46.

*Locus Esai.  
10, 11. ex-  
penditur.*

Exemplum Regis Assyriorum, quod cum Didaco Alvarez Arch. Tranensi *de Auxil. lib. 3. disp. 24. pag. 239.* ad prædeterminationem divinam accommodat, probè considerandum est. Potuit Deus in Rege Assyriorum extraordinarias heroicas vires virtutesque excitare, quibus contra varias gentes expeditionem institueret, victoriis & triumphis plenissimam, quibus & Judæos castigaret & affligeret durissima promeritos. Potuit etiam ita movere cor Regis Assyriorum, ut in Judæos citius tardiusque moliretur bellum. Hæc omnia & justissimis de causis fieri poterant, & Deus nullo se peccato immiscuisset, si vel maximè istos motus in Rege Assyrio excitasset voluntatem Regis præveniendò & prædeterminando. Non verò necesse fuit, ut extraordinario quodam concursu ita voluntatem Assyrij stimularret. Potuit ambitio & dominandi libido tanquam stimulus magnatibus frequens, itemque potuerunt populorum longè latèque circumjacentium sive dissidia, sive decrementa alia animum Assyrij, suas copias circumspicientis, excitare ad molitionem belli. Hic non prædeterminando Assyrij conatibus usus est Deus, sed concurrente, dirigendo, ordinando. Quod igitur *virga, baculus, securis, ferra* Domini dicitur Assyrius, non ad modum, sed ad usum motionis pertinet, ad quem respexit Deus in reprehensione gravissima. Sicut virga, baculo, securi, ferra aliisque instrumentis utuntur homines, ita etiam Deus usus est Assyrio ad suam intentionem præter intentionem. Modus motionis omninò diversus est. Modus motionis virgæ, baculi, securis, ferræ  
coactus



coactus quasi est & violentus, sine motarum rerum interna quadam sui ipsius applicatione, neque etiam repugnantia: planèque nullus alius finis est moti, quam moventis: & tota forma motionis est à movente, nō à re mota. Versata est verò voluntas divina circa Assyrij voluntatem jam bella ex ambitione & dominandi libidine molientem. Itaque in sua illa libera motione, concursu suo divino fovit decurrentem, non prædeterminavit. Et in hac divini concursus ad liberam Regis motionem dispensatione Deus magnā admisit repugnantiam. Gloriatu nimirum ille est, tanquam suis Deastrorumq; suorum viribus hæc omnia conficeret, quæ malitiosa planè resistantia est. Quid enim? Anne etiam ad hanc Deus ipsum determinavit, sicut faber lignarius ferram suam ad secandum applicat? Finis profectò Regis Assyrij planè alius fuit, quam Dei. Adeoque neque tota forma motionis Assyrij regis est à primo movente: quoniam quam plurima in ea est iniquitas. Neque tantum Rex Assyrij populi, ejusque voluntas, sed etiam cum primis ejus actiones & molimina quasi instrumentum fuerunt Dei vindicantis malitiam populi sui. His usus est & quomodo voluit, & quamdiu voluit. Eaque etiam ratione cum istis organis, virga, baculo, securi, ferraque, comparat fastu turgidum Regem Deus summus, ut non solum ipsi demonstret necessariam à se dependentiam in esse naturali, morali & politico, sed ut vilitatem illi suam, in magnis vanissimisque imaginationibus patentissimæ potestatis, ex collatione ad suam majestatem, ob oculos ponat, ad quam comparatus nihil magis dignitatis & facultatis habeat, quam baculus, vel virga, vel securis, vel ferra erga opificem, vel alium quemcunque illa usurpantem. Denique docet facilitatem remorandi. Ut enim facillimum est usurpanti virgam, baculum, ferram, securimque vel abjicere, vel reponere, vel retundere illa, sic facillimum esse Deo, Assyrium Regem abjicere, seponere, retundere, utut ingentibus intumescat exercitibus. Sed & Rex Assyrius, quod docere tamen vult Maccovius, potentia illa sua non ad id tantum ferebatur, ad quod Deus ipso ceu securi utebatur, sed & ad plura alia sub Deo extendebat molimina, & procul dubio plus boni debuerat

Z effice-



efficere, quam effecerat, & minus mali operari, quam operatus erat. Indicium ejus rei licet capessere ex speculo vitæ Nabucodonosaris, imprimis Dan. cap. 4. vers. 25. 26. 27. & ex iis, quæ occurrunt Zachar. 1, 15. Sic quoque regenti, etiamsi præter & extra Deum sua potentia ad bene operandum uti non possint, nihilominus possent sub concursu gratioso Dei plus boni facere, quam faciunt, quia cum voluntate Dei consentit, non præter aut extra eam est, si plus boni agere contendant, agantque.

§. 47. Ad III. idem, quod ad superiora dicendum est. Psal. 127. vers. 1. 2. ostendit ex benedictione divina & concursu influxuq; Dei in conatus, studia, actionesque nostras earundem felicitatem promanare & dependere. Non tamen sequitur, per hominem non stare, quo minus plus boni efficiatur & effluat, quam sit, aut plus mali oriatur, quam oriretur, si homo non reniteretur benignitatis summæ fontibus. Ad IV. formula votiva, Jacobo Apostolo doctore in omnibus conatibus nostris usurpanda, non ad prædeterminationem absoluti alicujus antegredientis decreti nos deducit, sed ad divinam benedictionem, directionem, & vitæ ab eo dispensandæ continuationem. Nec tamen sequitur; Ergo præcisè tantum, quantum facimus, voluntas divina nos vult facere: ergo non interdum minus facimus, aut aliter, quam nos Deus vult facere. Ad V. omninò ardentè orandum est, ne permittat nos Deus induci in tentationem. Non tamè exinde fas est colligere, Deum absolutè determinasse, quando & ubi velit permittere, adeòque Deum non minus voluisse permittere, nec plus, voluntate antecedente. Nec illud sequitur; sub permissione divina necessariò hominem in tentationem induci. Cum permissio simplex nil subtrahat, sed sæpe *donquasi* gratia fiat, ut audiemus. Ad VI. In pietate planè tantum possumus, quantum Deus, ut possimus, largitur. Sed non tantum facimus, quantum, ut possimus facere, largitus est Deus; idque non retardante Deo & determinante, sed repugnante carne; Galat. cap. 5. v. 17. Rom. 7. v. 16. 19. 20. 21. &c. Deus facit in nobis velle & perficere. Id verò velle & perficere, quod in nobis facit Deus, non semper in tantum prosequimur, in quantum velle & perficere nobis



nobis cohabitatur, ut parabola de talento defosso docet, Matth. 25. v. 18. 27. 28. 29. 30. Ad VII. permissio non necessario vel sequitur vel antecedit futuritionem peccati, sed coincidit cum peccati ex voluntate humana parturitione, vel cum ipsius voluntatis agitatione. Neque enim semper posita permissione emergit peccatum. Neque ipsa permissio simplex, quæ est exploratoria & probatoria non raro, tollit ordinarium concursum Dei. Interim permissio, quæ est judiciaria, sequitur prævisionem peccati. Ad IIX. Robur habituale, quod vocat Trivissus, quod in regeneratione nobis conceditur, non est otiosum & torpens quiddam ex se, sed lux, ignis, flamma, potentia actiosa & efficax suo modo & loco. Spiritus S. non abest ab illo robore, sed illud fovet & actuat. Et robur actuale, quod Maccovius impropria significatione gratiam actualem vocat, non est necessario & ordinario aliquid de novo extrinsecus robori in regeneratione & unione cum Deo superadditum, sed elicatum & excitatum ex illis regenerationis dotibus.

Ad IX. Robur actuale, hoc est, ipsa excitatio gratiæ cœlestis ad actum bonum omnino ducit ad volitionem boni in specie, seu in individuo, sed tamen non infallibiliter & inevitabiliter determinat ad illud. Nam & specifica seu individua illa propositione boni, & excitatione ad bonum data potest tamen resisti & oppositum à voluntate hominis proficisci, aut planè nullus sequi effectus. Sic gratia excitans præveniensq; in Agrippa affectum amplexandi Christianismum in individuo produxerat. Act. 26, 28 quem tamen Agrippa mundi amore representat, imò suppresserat. Benè HENRICUS BULLINGERUS Comment. h. l. inquit, *Agrippa eruditissima oratione Pauli velut extra se raptus, palam fatetur, Parum abest, quin persuadeas me fieri Christianum. Fuit hæc vox non verè credentis, sed eatenus verbo assentientis, quatenus vox aures feriens suavitate & evidentia animum sibi ipsi rapiebat. Nam quam primum ea cessaverat, redibat ad ingenium. Melius & expressius RUD. GUALTHERUS homil. 265. in Acta, pag. 277. Credibile est, pluribus adhuc causam hanc à Paulo tractatam fuisse, cum Agrippa mox fateatur, se non mediocriter verbis*

§. 48.

Locus Act.  
26, 28. expenditur.

Z 2

illius



illius commotum esse. & post. Alterum auditorum verbi genus videamus, quorum typus in Agrippa Rege proponitur, & eorum est, qui mundo additi, huius curis & studio, verbi semen suffocari patiuntur. Nec enim scripturas negare audeat, quarum auctoritatem divinam & infallibilem esse noverat. Illis præterea convenire videt ea, qui à Paulo dicebantur. Sentit item non obscuros animi motus, quibus, ut in Christi partes transferret, sollicitabatur. Nec id dissimulat, quando se non nihil persuasum esse, palam fatetur. Quid ergo obstat, quo minus non ultra progressus Christo publicè nomen det? Nimirum: (non suspensio roboris actualis subministratio, ut ait Maccovius) infelix mundi studium. Ad X. etiam si absolutè, & ut cursus est Christianismi & pietatis exercitiorum progressus, dici possit, posse hominem plus mali omittere, quam omittit, & plus boni facere, quam facit; non tamen exinde progressus ad perfectionem imperatam, & quod amplius est, ad supererogationis opera possibilis in hac naturæ humanæ conditione asserendus est. Possunt enim juxta se invicem stare propositiones hæ duæ: Homo post lapsum in hac vita, etiam auxilio superveniente gratiæ, non potest ad perfectam mandatorum Dei observantiam adscendere, multo minus opera supererogationis præstare: & Homo post lapsum in hac vita sub auxilio & concursu divino positus plus potest boni facere, quam facit, & plus mali omittere, quam omittit.

§. 49. Notamus V. actionem, cui homo superinducit malitiam, qua actio est, posse quidem objici voluntati, non tamen ita, ut voluntas divina infallibiliter prædeterminet, limitet & specificet quasi voluntatem creatam ad istam actionem. Quia si actio, cui indivisibiliter & inevitabiliter connectetur malitia, ut actio est, prædeterminatur & prædefinitur à voluntate divina antecedente decreto in voluntate creata, tum voluntas divina erit causa prima & summa ipsius etiam malitiæ. Sumamus exempli gratia odium Dei. Si ad actum odij Dei, qua actus est voluntatis averfantis Deum, per divinam antecedentem voluntatem immutabiliter prædeterminatur; homo ergo Deus erit autor ipsius etiam odij Dei. Ratio est: quia hac ratione divina voluntas non erit tantum causa, ut Philosophi loquuntur, physica: Sed



sed etiam moralis. *Physica causa* est, quæ ipsam rem sive entitatem actus producit: *Moralis*, quæ præcipit, consulit & instigat ad actum ipsum eliciendum. *Physica causa* est, quæ realiter influit in actum creatum; *moralis*, quæ moralibus suggestionibus & motionibus ad actum disponit. Si enim Deus causa liberrima liberrimo supremo motu inevitabiliter prædeterminat voluntatem creatam ad omnem actionem materialem odij sui, cum omnibus circumstantiis temporis, loci, modi, graduum, adeoque motum qua motus est ad tendentiam contra legem Dei sub hoc & nunc prædefinit, omnino etiam causa moralis erit ipse Deus. Inter causas enim morales illa est præstantissima, cui potissimum imputatur effectus, quæ liberrima efficaci voluntate directè expressèque aliquem vult effectum, imò omnia media adhibet, quæ ad illum requiruntur: inprimis quando à nullo superiori aut ulteriori principio, sed à seipso ad istius effectus procurationem & productionem determinatur. Taliter autem se habet ex sententia Triglandij Deus opt. maximus in productione materialis actionis odij Dei. Quapropter & moralis causa actionis materialis, exempli gratia, odij Dei, ipse Deus dicendus erit. Sicut enim nullo modo moralis causa actionis malitiæ dici potest Deus, cum dicitur circa peccatorum actiones solum præbere concursum, ordinatum & proportionatum humanis actionibus liberè eliciendis, imò inclinantem ad bonum & à malo retrahentem, sed & juxta permittentem, ut optimo divino suo concursu abutantur homines, eumque detorqueant ad malas actiones: hoc enim pacto ex parte Dei nulla in effectum illabitur prædeterminatio, cum directæ & primariæ Dei intentio, quantum ex se est, voluerit, ut nunquam existeret talis contra legem suam oppositio, tale actuale Dei odium; sic ex adverso Deus moralis causa necessario constituitur, si ipse à se ipsa proficiscente prædefinitione & prædeterminatione efficaciter producit materialem actionem odij adversus ipsum exurgentis. Effectus sanè primariæ causæ, prædeterminanti ad illum, imputandus est potius, quam secundariæ causæ, quæ non operatur, nisi determinata per aliam causam. Et licet illa materialis



actio odij Dei non imputetur Deo, tanquam, ut sic loquar, volitio Dei *constituens illum formaliter inimicum sui ipsius*, imputatur tamen Deo, velut effectus *directè & liberè* intentus, productus & prædeterminatus ab ipso, & quidem jure potiore, quam incendium imputatur homini, si eo fine ignem admovet. Deus enim altiori & efficaciori modo prædeterminat creatam voluntatem ad istum affectum tam monstruosum in se & contrarium legi divinæ. Nonne enim Deus, cum inevitabiliter & absolutè prædeterminat voluntatem creatam reali & irresistibili influxu in eandem, ad materiale actionem odij Dei, eo ipso instigat, allicit, excitat, inducit, inclinatur & movet eandem, ut illam actionem eliciat. Neque enim solum *illo reali influxu prædeterminante* à Deo voluntas creata *immediatè* instigatur, incitatur, & movetur ad actionem naturaliter consideratam, sed etiam *mediatè* alio quasi quodam morali influxu suggestionis & suasionis. Nam isto influxu objectum etiam taliter & in illis circumstantiis objicitur intellectui & voluntati, quo non aliud quam odium erga Deum concipere homo potest. Et tanto quidem fortius causat odium Dei moraliter, hoc est, proponendo objectum *Deum aversabilem constituens*, quanto magis intrinsecè illabitur in radicem voluntatis & intellectus, quam quævis alia causa exterius adventans. Estq; ille prædeterminans illapsus Dei in voluntatem humanam plusquam connatum aut concreatum præceptum, quoniam illi resisti nequit. Jam si Deus non tantum physica, ut vocant, causa est materialis actionis odij Dei, sed etiam moralis, erit etiam causa physica & moralis ipsius malitiæ, quæ est in odio Dei. Nam malitia peccati cujusvis, & ita etiam odij Dei, non potest directè & immediatè produci ab ulla causa, sive creata sit, sive increata. Non igitur alia ratione producitur, quam causando actionem, quæ *in formali sua ratione & ex terminis à quo & ad quem estimata* realiter repugnet legi Dei, unde necessariò sequitur malitia. Autor ergo & causa, cui malitia imputanda, non potest esse nisi ille, cui tanquam autori & causæ morali actio tribuitur, quæ intrinsecè realissimèque repugnat legi Dei. Et immotum manet hoc principium: *Quicquid*



quid est causa moralis, ut actio talis existat in rerum natura, est etiam causa moralis malitia, quæ talem actionem necessario & inseparabiliter consequitur. Quæ enim causa primario causam secundam determinat & restringit, ut ab illa existat materialis actio odij Dei & tota illius realis oppositio cum lege Dei, illa etiam est primaria causa determinans primario causam secundam, & prærestringens, ut ab illa existat malitia, quæ inseparabiliter & necessario consequitur talem actionem. Huic igitur erit etiam impudandum, quod causa sit, ut existat malitia, ac proinde erit causa mali illius. Nonne enim & creata voluntas non alia ratione causa moralis est malitiæ, quam quatenus est causa moralis illius materialis actionis contrariæ legi divinæ, ad quam malitia necessario & inseparabiliter consequitur. Quare & Deus erit moralis causa ipsius malitiæ necessario consequentis, si est causa non solum prædeterminans, sed proinde etiam moralis ejusdem actionis materialis. Quæ omnia sunt quidem per se absurdissima, quia tamen ex tuistorumq; hypothesebus, de absoluta prædeterminatione à causa prima in voluntates creatas, inevitabiliter & perpetuo in omnibus actionibus influente, permanant, evertunt & illud tuum theorema, quod ex puriori theologia Triglandi, depromisti: Voluntatis divinæ objectum esse duntaxat actionem, non autem ipsam malitiam.

Tres enim modi sunt, quibus actionem peccato infectam à Deo esse & voluntati divinæ objici posse concipi potest. Prima si spectes exteriorem actionem in peccato occurrentem, sicut in peccato Adami fuit motus manus ad arborem, decerpens fructum orique ad movens. Illa, seclusa denominatione extrinseca, quam habet ex imperio voluntatis creatæ, deflectentis, tota ad Deum referri potest. Deinde, si spectes rationes cõmunes actionis interioris, quales sunt volitio, ut ens est habens bonitatem transcendentalem, volitio ut volitio est, habens bonitatem vitalem, volitio ut ad comestionem præcisè tendit, quæ est conservationi hominis necessaria & bonum debitum. Illæ omnes referri possunt ad voluntatem divinam. Tertio, si spectes specificam rationem actionis interioris, quæ intrinsecè & realiter con-

tra-



trariatur legi divinæ & sanæ rationi: ut in Adamo fuit desiderium tanta æstimatione prosequens bonum apparens comedendi fructum interdictum & habendi similitudinem cum Deo, ut illud anteposuerit voluntati divinæ præcepto explicatæ, quam sciebat conculcari. In duobus prioribus periculum assignationis & reductionis in Deum nullum est, dum modò caveatur, ne dicatur Deum ad istas sive exteriores sive interiores actiones præmovisse & præincitasse, sive objectivè sive effectivè, sic enim omninò causa peccati foret. Addatur etiam, Deum ex benignitate suæ dispensationis magis inclinare, ut ille cõmunes rationes applicentur à voluntate inferiori non ad repugnantes, sed complacentes Deo particulares actiones. In tertio modo confusio- nis periculum summum, ubi cavendum, ne prædeterminatio ad istas particulares actiones Deo adscribatur, ne ex intentione divina istas rationes elici dicamus; ne actus speciem Deo ut causæ assignemus: ne asseramus, Deum esse causam, ut hic vel ille actus sit materiale peccati & fundamentum malitiæ: vel Deum facere id, unde actus habet, ut sit fundamentum malitiæ, vel ex influ- xu Dei provenire, ut actus sit talis: vel Deum facere actum sub ea ratione, qua necessariò infert deformitatem & malitiam. Di- stinguamus positionem concursus & ordinis divini, qua adest ex lege & pacto dependentiæ creaturarum à se & se dispensat, ab abusu & quasi raptu illius ad deformitatem & malitiam, qua se subducit & opponit concurrentis Dei intentioni voluntas creata deficiens. Sed de his in seqq. plura dicenda sunt.



DE VO-






















58333

X2587279

VD 17











6

INTERPELLATIONIS  
NECESSARIÆ;

Ad  
*Meditationes*

JACOBI TRIGLANDII,  
DOCTORIS ET PROFESSORIS  
THEOL. LEYDENSI.

In  
*Opiniones variorum*

DE  
**VOLUNTATE DEI,**  
GRATIA UNIVERSALI ET  
SCIENTIA MEDIA  
*DISSESTATIO TERTIA*

Quam  
*Divina adspirante gratia*

SUB PRÆSIDIO  
JOH. GEORGII DORSCHER,  
SS. THEOL. D. ET P. P.

*In illustri Argentoratensium Universitate  
solemniter pro posse defensum ibit*  
Mens. d.

HARTMANNUS MANTZ,  
WORMATIENSIS.

\* \* \*

ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,  
Academiae Typographi, 1646

H

